





Poetic:
a) ~~Artis poetic.~~ 45.

Aesthet. 32

TO THE ...
SAPPHIR ...
VIER ...
...

VERBODEN TOEGANG
SAPPHIRA
VERBODEN
GRYFF
VERBODEN TOEGANG
VERBODEN TOEGANG
VERBODEN TOEGANG
VERBODEN TOEGANG

N. 38.

IO. GVILIELMVS. BERGERVS.
DE
SAPIENTIA
VETERVM
CRYPTICA

EX
COLLATIS INTER SE
GRAECORVM LATINORVMQVE
MONVMENTIS.



VITTEMBERGAE.
MDCCV.
PRELO CREVSIGIANO.

IO. GUILIELMVS BERGERVS

DE

SAPIENTIA

VETERVM

CRYPTEA

EX

COLLATA INTER SE

GRAECORVM LATINORVMQUE

MONUMENTIS

IN

MDCCCLXX

PRELO. GREGORIANO.



DISSERTATIONVM CRYPTICARVM

x

SEV
DE OCCULTATIONE POETICA

PRIMA

PArrhasium quondam cum Zeuxide gloriae, pro cuius principatu communis aemulatione laudis uterque nitebatur, suscepisse certamen accepimus, eoque uuas, in tabula tanto conatus artisque successu, ut aues allicerentur, expressas, in scenam deferente, lineum quoddam protulisse, tam uiuis expictum coloribus, et artificio penicilli dissimulato, tam redditum diligenter, ut aemulus, alitum iudicio superbius elatus, nec fraudis quicquam sibi metuens, integumento picturam iuberet exui, et opinionis errore serius agnito, pudore suffusus, uictas Parthasio manus daret, seque uolucres, illum longe sapientius ipsius oculos artificis, fefellisse confiteretur. Quae quidem si perinde contigerunt, ut a C. Plinio, naturalis historiae scriptore, libri quinti et tricesimi cap. X memoriae prodita leguntur: utriusque horum, iudicari potest, ad tantam operis perfecti commendationem nihil, quam artem artis celandae, magis profuisse, cum uterque rerum, quas adumbrare statuerat, imagines tam natiuis exscriberet figuris, ut nullus uel leuissimae artis suspicioni locus relinqueretur, et summi maximique artifices essent, qui nulli uiderentur. Atque hoc erat illud, quod Timanthi, ueteri praeclaroque pictori, in laude ponebat antiquitas, cuius in tabulis plus semper intelligi, quam pingi, cumque ars, quo enitatur altius, non habeat, ingenium tamen ultra artem esse, eodem auctore Plinio, praedicabat. Vti picturae cum poesi magnopere conuenit, quando quod penicillo pictor, calamo poeta, et quod in tabula ille, hic in poemate imitatur, adeo quidem, ut non scite

magis, quam uere, Simonides poëſin picturam loquentem, et picturam poëſin tacentem, uocasse apud Plutarchum dicitur: ita dubium non est, quin, si usquam, in principum certe poetarum monumentis nec diſſimilis, neque inferior, quam in priſcorum tabulis artificum ſuſpexit uetustas, artis occultandae peritia deprehendatur. Testes citabo, ac potius cauſſae huius dabo iudices, poetarum facile principes, Homerum et Virgilium; quorum uterque cum omni abundaret arte, ſummae artis fore credidit, artem iudicio ſuperare, quo, ubi eius extaret et appareret nihil, ibi plurimum deliteſceret abditum, et excuſſum diligentius conſpiceretur. Quocirca de utroque iure quodam ſentio, id quod Fabius lib. X Inſt. Orator. cap. I. de Homero ſigillatim pronunciauit: eos *in uerbis, ſententiis, figuris, diſpoſitione totius operis, humani ingenii modum exceſſiſſe, ut magni ſit uiri, eorum uirtutes non aemulatione, quod fieri non poteſt, ſed intellectu ſequi.* Tanto minus conuenit mirari, ſi, tanquam Zeuxis, quem oſtendimus, alioquin artis, quam faciebat, gloria praestans, primo aspectu artem Parrhaſii non animaduertit, ſed artem in arte quaesiuit inconsideratius, eam uero poſtea, quam acrius contemplaretur tabulam, in ruborem datus, admirari coepit: ſic non pauci reperiantur, uiri cetera eruditissimi, qui, ubi in horum opera uatum inciderint, uno quodam oculorum coniectu atque obtutu, quid tandem inde aliis anteferant ingeniiſ, adeo non obſeruent, ut, quae fieri deberent maximi, aſpernentur, cum illoque remota uelint; mox tamen, re propius conſiderata, praecipitiſ iudicii erroris que admoniti, quae uel reiiciebant ut exculta ſegnius, uel ut otioſe diſpoſita uitii arguebant, cum admiratione artis reconditae amplectantur. Est, quod diximus, in promptu, quando neminem fugit,

fugit,

fugit, multos fuisse, qui nunc doctrinam in Homeri fabulis, nunc in ipsius operis contextu iustum quendam continen-temque ordinem desiderarint, inductos partim Platonis iudicio, qui poetarum Coryphaeum e commentitia dimiserat republica, partim Aeliani commemoratione, qui libri tertii decimi cap. XIV retulerat, Odyssean atque Iliada per partes a uate compositas esse, a Lycurgo uero Athenas ex Ionia perlatas, ibidemque a Pisistrato primum digestas. Verum, ne plura dicam hoc loco, horum opinionem hominum et Maximus Tyrius, et ipse Aristoteles, refellit: quorum alteri Diff. XVI Homerus hoc quidem consilio sapientiae studio se dedisse uidetur, uti philosophiam oratione numeris adstricta, quae his placebat temporibus, cum Graecis communicaret, alter non solum iudicio, omnium, quae consecuta sunt, seculorum consensione firmato, horum conditorem operum agnouit Homerum, sed ex iis etiam praecepta, quae omnis in- tueretur posteritas, effinxit et concinnauit. Minus quidem Maronis propositum scribendae Aeneidos in dubitationem uocari coeptum est, quam Augustus, mirifico audiendi desiderio incensus, et sibi iussit recitari, et mortuo Poeta, Vario ac Tuccae recensendam dedit, ea quidem lege, ut nihil omnino ad- iicerent, demerent autem, siquid, salua operis integritate, de- mi posset. Neque eo secius fuisse comperimus, qui ordi- nem, in accuratissimo hoc opere ingeniosissime seruatum, corrigere auderent, cum librum secundum primum, tertium secundum, primum denique tertium, fieri uellent. At di- gni erant, quos enarrator Seruius inscitiae reos faceret, qui turpiter ignorarent, quod uerterent Poetae uitio, in praeci- puis eius uirtutibus esse commemorandum, idque consilii nullam uel perturbatae, maleue compositae, mentis infirmita-

DE CRYPSE

tem, uel supinam negligentiam, sed circumspectum rectumque iudicium, et insignem artis poeticae intelligentiam, ei attulisse. Sicut igitur errabat Zeuxis, quod uelum, ubi non poterat, tolli uolebat, et pictura sub eo frustra quaesita, nescio quid artis, quod aberat, opinionis errore deceptus, requirebat: ita multi, qui poetarum duces una externae orationis aestimant forma, non minus offendunt, quando, contrario ducti errore, integumentum, quo conuestitur doctrina, submoueri nolunt, et quod subest artis, nihil morantur. Quorum tamen incuria parum obest, quo minus ambo poetarum principes eximiae laudis admirationem sibi pariant, in eorum saltem animis, qui utriusque merita et dignitatem perite metiuntur, illius potissimum memoria facultatis, quam *κρύψιν* uocant Graeci, et praestantissimi uatum tanti fecerunt, ut in ea praecipuum artis suae momentum posuisse uideantur. Haec enim est illa, quae *uersificatorem*, quem nominat Fabius, seu Graecorum lingua *σιχοποιόν*, et narratorem, ab *ἐποποιῶν* siue poeta epico in primis distinguit, et iudicium poetae declarat, finemque, qui huic praestitutus esse debet, optime assequi potest. Itaque sicut eiusdem, quem collaudauimus, Parrhasii tanta fuit praestantia, ut ex eius membranis et tabulis ipsi artifices profecisse dicantur: ita dubitari non potest, quin in utroque poetarum principe ea ingenii et doctrinae momenta insint, quibus et recte copioseque instructa fuerint ueterum poetarum iudicia, et iuniores, qui de uulgi numero eximi uelint, ad perfectioris munus poesis praeclare informantur. Quod si hos tales, perinde ac fieri par est, sequamur, eorumque institutum, quod attigimus modo, tanquam Lesbiam regulam, ad quam nostrorum poemata temporum exigamus, paulisper adhibeamus: in tanta poetarum, undi-

undique sese efferentium, quorum crudos labores istud tam inuisum scribendi cacoethes in publicum protrudit, ubertate innumerabilem prope uersificatorum copiam, perpaucos contra, ueritati detur uenia, poetas inueniemus. Quo minus in mentem uenit subuereri, ne perdamus operam, siquidem facultatis huius, quam *κρύψιν* diximus, tanta ueterum cura, et maximorum labore poetarum comprehensae, cogitationem suscipiamus, et uim eius naturamque, ab ultimis repetitam initiis, peruestigemus interius, et quoad eam cogitatione, nec mediocri forte obseruationum studio, consequi possimus, in praesens exponere ingrediamur. Erit, neque id ignoro, argumentum, quod intimae poetices claustra contineat, ob eamque causam tam graue atque arduum, ut ne nobis quidem ipsi, nedum uiris doctioribus, qui rem ad uiuum reseruant, satisfacere posse uideamur. At quando animum ad scribendum non adiunximus, eo prolapsi audaciae, ut eorum, qui his in literis auctoritatis principatum tenent, animos, tam auidos rerum praestantium et capaces, cumulatis doctrinae copiis expleamus: satis nos quidem habebimus, si ea de proposita disseramus materia, quae licet mensuram eius minus impleant, nos tamen non signaros prorsus eius ostendant laudis, qua ueteres, iidemque sine exemplo maximi, uates immortalem nominis famam sibi conferunt

Principio Graecarum literarum tam expers est nemo, qui nesciat, Crypsin a Graeciae fontibus dimanare, propterea quod, uti a *τέθρυψαι θρύψις*, ab *ἐρρύψαι ρύψις*, ita *κρύψις* a *κέκρυψαι* existit. Est autem scriptori Etymologo *κρύπτω*, *abscondo*, *occulto*. a *καλύπτω*, quod λ et ρ, literae *εὐμετάθετοι*, permutari que-

que-

DE CRYPSI

queant. uela κάρα, caput, ut sit quasi καρύπτω, translatione ab
 iis sumpta, qui caput occultant. Si origo altius petita uidea-
 tur, suffecerit, rem indicari. Phauorinus. κρύπτω, κεύθω.
 κρύπτω σε τὴν ἐμὴν βουλήν, ἤγουν καλύπτω. Idem. κρύφα, ἤ-
 γουν λάθρα τῶν ἄλλων ποιῆι. κρυφῆ, λάθρα, ἀδήλως, κρυπτῶς.
 Glossae ueteres. ἀπόκρυφον, absconditum, abditum, absconsum.
 Lexicon uetus. κρύπτω, abscondo, tego, in arcano habeo, arca-
 num teneo. Inde κρυπτικός, occultandi uis praeditus, celandi
 peritus. κρυπτικόν, in quo quaedam occultandi uis inest, quod
 est comparatum ad occultandum. κρυπτικῶς, cum quodam
 ad occultandum artificio. Ex quo nullo colligendi labore,
 consequitur, Crypsin id, quo quid occultatur, contegitur, ab-
 sconditur, uel quandam occultandi seu rationem, seu faculta-
 tem peritiamque, uelle. In idem conicias, Crypticas esse dis-
 sertationes, quae Crypsin aliquam, seu occultandi uim facul-
 tatemque complectantur

Late uero patet Crypsis, et diuinarum humanarumque
 rerum argumentis continetur. Nam diuini Numinis sapi-
 entia uti rerum tam altos abditosque recessus habet, ut ad
 eius adyta nullius ingenio hominis aditus aperiatur: ita eam
 quoque Crypsin adhibet, quae mysteria coelestis consilii tan-
 tisper abstrudat, dum tempus, diuinitus praefinitum, appetat,
 et arcanum euulgetur. Quam in sententiam iuuabit in-
 transcursu meminisse I. Corinth. II. comm. 7. σοφίαν Θεοῦ
 ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκρυμμένην. itemque Eph. III. comm. 9. τὴν
 κοινωνίαν τοῦ μυστηρίου τοῦ ἀποκρυμμένου ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ
 Θεῷ. Ac licet praepotens Numen adeo sui cognitionem ho-
 minibus non subtrahat, ut potius, quod docet Paullus, et lege,
 in mentibus hominum insculpta atque insignita, et rerum con-
 ditarum aspectu, sese patefaciendum putarit, ac parens lumi-
 num

num

num dici uelit: tamen, cum natura eius et perfectio omnem humanae rationis modum excedat, pariter cum tot diuinitatis mysteriis nil nisi Crypsin in Deo reperimus. Atque haec illa sunt ἀόρατα τῷ Θεῷ. Bene Basiliius Magnus Hexaem. Homil. X. ἀπὸ δυνάμειος Θεὸς νοεῖται, ἀπλότης φύσεως, μέγεθ' ἀποσον. πανταχῶς ἐσι, καὶ ὑπὲρ τὸ πᾶν περισσέυει, καὶ ἔστιν ἀφᾶις ἀόρις. ὅσπερ τὴν σὴν ἐκπίπτων κατάληψιν, ὅτε μέγεθι περιορίζεται, ὅτε σχήματι περιλαμβάνεται, οὐδὲν ἐσι περὶ Θεὸν, οἷον περὶ ἡμᾶς. Arnobius etiam, cum multa de Dei laudibus dixisset, addit. *De quo nihil dici et exprimi mortalium potis est significatione uerborum: qui ut intelligaris, tacendum est, atque ut per umbram te possit errans inuestigare inspicio, nihil omnino mutiendum.* in lib. I. aduersus Gentes. Diserte, ut solet, M. Minucius Felix. *Hic nec uideri potest, inquit, uisu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est, nec aestimari, sensibus maior est, infinitus, immensus, et soli sibi tantus, quantus est, notus. Nobis uero ad intellectum pectus angustum est: et ideo sic eum digne aestimamus, dum inaeestimabilem dicimus. Eloquar, quemadmodum sentio, magnitudinem Dei, qui se putat nosse, minuit: qui non uult minuere, non nouit.* in Octau. p. 141. Quo loco Tertullianum Apolog. c. XVII expressit, ut probe uiri docti obseruant. Quare, ut auctor est Cicero, lib. I. de natura deorum, Simonides ab Hierone tyranno rogatus: ecquid esset Deus? unius diei spatium ad deliberandum petiuit. Postridie interrogatus, biduum postulauit. Quod cum identidem facere pertenderet, sicut duplicaret numerum, admiratusque quaereret Hiero, cur ita faceret? quia, inquit, quanto diutius considero, tanto res obscurior mihi uidetur. At meminerint hi tales, quod bene a Philemone dictum est. Θεὸν νομίζου καὶ σέβου, ζῆται δὲ μή. πλεῖον γὰρ ἔδεν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις. Nec minus memoria dignum est, quod extat apud Xenophontem si quidem, eiecta deorum auctoritate, Deo tribuas honorem.

B

ὅτι

DE CRYPSE

ὅτι μὲν γὰρ τὰ θεῖα ὑπὲρ ἡμᾶς, παντὶ δῆλον. ἀπόχρη δὲ τὸ κρεῖττον
 τῆς δυναμείας αὐτοῦ σέβειν. οἱ δ' εἰσὶν, οὐδ' εὐρεῖν ῥᾶδιον, οὔτε ζητεῖν θε-
 μιτόν. Plane rem exponit Isidorus Pelusiota. εἰδέναι γὰρ
 χρὴ καὶ πιστεύειν, ὅτι ἐστὶ θεός, οὐ τὸ τί ἐστὶ πολυπραγμονεῖν. in lib. II.
 Ep. CCXCIX ad Theodos. Scholastic. Quod si hominis, a
 uero Dei cultu alieni, circumspicimus iudicium, ipse certe Pli-
 nius, *effigiem Dei formamque quaerere, imbecillitatis humanae*
ratus est, in lib. II. cap. VII Intellexit hoc, ut multa, prae-
 clare ὁ παραβάτης et sacrorum desertor, quanta homo doctri-
 na, tam malo prauoque ingenio, nec perperam tamen dixit.
 φιλεῖ γὰρ ἡ φύσις κρύπτεσθαι. καὶ τὸ ἀποκεκρυμμένον τῆς τῶν θεῶν
 (nos τῶ θεῶ dicamus) ἑστίας ἔκ ἀνέχεται γυμνοῖς εἰς ἀκαθάρτους
 ἀκοᾶς ρίπτεσθαι ῥήμασιν Orat. VII ad Heraclium Cynicum.
 Quorsum attinet, quod ad Mauortium Lollianum scribit Iul.
 Firmicus Maternus, *celari et abscondi plurimis tegumentis na-*
turam diuinitatis ab initio uoluisse. Atque haec quidem cun-
 cta, et reliqua huius generis, ad eam pertinent Crypsin, quam
 causae sat est, quamobrem τὴν μυστηριώδη καὶ θεολογικὴν, seu ex-
 imie κρύψιν, appellemus

Cum ueterum sacra, et quibus haec colebantur, ritus ac
 ceremonias animo mecum reputo, multa comperio, in iis oc-
 culte facta esse, quae neque aspicere omnibus licuerit, nec cui-
 quam efferre in uulgus. Taceo, quaedam fuisse fana, quae
 ne uisere quidem fas fuerit, id quod tradit in Octauio Minuci-
 us Felix, et de Plutonis apud Eleos templo confirmat in Eliacis
 Pausanias, quo, nisi sacrificulus, admittebatur nemo. Prae-
 tereo, sacris Bonae Deae, Cereris, et Vestae, uiros arceri soli-
 tos, quemadmodum e Plutarchi Caesare, Pausania in Achai-
 cis, Cicerone, Lactantio, et aliunde, constat. Vnum refero,
 eadem sacra, quae honori Cereris instituta sunt, atque ab E-
 leu-

leusi, Atticae opido, Eleusinia dicta, tanta fuisse cura celebra-
 ta, tantoque occultata studio, ut capitis poena sancitum fue-
 rit, ne quid horum mysteriorum enunciaretur. Quamobrem
 mysteria etiam, eximia nominis appellatione, uocabantur. E
 Niceta, Sopatro, Ouidio, aliis, rei fidem faciat Graecarum anti-
 quitatum peruestigator aetatis suae solertissimus, Ioannes
 Meursius, libro erudito, quem de Eleusiniis scriptum reliquit.
 Nec uero Graeci modo, uerum etiam Aegyptii sacra sua, ne
 polluerentur a profanis, semouerunt a rerum uulgarium usu,
 et cum maxime abdiderunt. Quos quidem, in confesso est,
 in adytis reposuisse res religione consecratas, et sacrae prae-
 terea, quae insculperetur, scripturae integumentis inuoluisse.
 Testatur enim Plutarchus, priscis temporibus in more positum
 fuisse Aegyptiis, ut ad templorum limina collocarent Spinges,
 quo essent indicio, doctrinam, qua res sacrae contineantur,
 obscura quadam, et aenigmatum uelis obtenta, sapientia con-
 stare. Quod si Clementem Alexandrinum, uirum reconditae
 omnis doctrinae apprime peritum, lib. V Stromat. audiamus,
 triplicem scribendi rationem inierunt Aegyptii, unam *ἐπι-
 σολογραφικὴν*, qua exararunt epistolas, alteram *ἱερατικὴν*, quam
 in rebus sacris adhibuerunt sacerdotes, tertiam *ἱερογλυφικὴν*,
 quam insculpere consueuerunt, eamque uel *κυριολογικὴν*, quae
 proprie loquatur, uel *συμβολικὴν*, quae signis rem demonstret.
 Etsi uero, si Hieroglyphicorum, quibus usi sunt Aegyptii, o-
 riginem diligentius inuestigemus, doctrinae ingeniosis expri-
 mendae figuris modum sacrae potissimum scientiae causa,
 inuentum fuisse, uel ipsa uerbi eius notione admone-
 mur: tamen inficiandum non est, easdem notas multa quoque
 naturae secreta, multa sapientiae ueteris capita, et omnis mo-
 menta doctrinae, quae sapientiores demum pernoscant, ab-
 strusa comprehendisse. Non longe abierimus, quando idem,
 B 2 quem

DE CRYPSE

quem modo dixi, Plutarchus idem asseuerat. οὐδὲν ἄλογον, ἔδὲ μύθους, ἔδὲ ὑπὸ δεισιδαιμονίας, (ὡς περ ἔνιοι νομίζουσιν) ἐγκατεσοιχοῦτο ἱεραγίας. ἀλλὰ τὰ μὲν ἠθικὰς ἔχοντα καὶ χρειώδεις αἰτίας, τὰ δὲ ἐκ ἀμοιβῆς κομψότητος ἰστορικῆς, ἢ φυσικῆς ἔστι. de Iside p. 353. Paulo post uir tum omnis narus antiquitatis, tum ritus Aegyptii non imperitus, commemorat, cum rex quidam e militibus fuerit creatus, eum, abiecta omni cunctatione, sacerdotibus in disciplinam sese dedisse, quo particeps fieret τῆς φιλοσοφίας ἐπικεκρυμμένης τὰ πολλὰ μύθοις καὶ λόγοις, ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἔχουσιν. ibid. p. 354. Aegyptios certe, memoriae prodidit C. Tacitus Annali XI cap. XIV, per figuras animalium sensus mentis effinxisse primos, eosdemque accepimus, Deum per nauis gubernatorem, uel oculum depictum cum sceptro subiecto, providentiam per formicam, mundum per scarabaeum, annum per serpentes, libidinem per scorpionem, constantiam per salamandram, pietatem in liberos per pelecenum, charitatem per columbam, pudicitiam per turturam, indicasse. Missa facio alia imaginum genera, quae literarum monumentis consignauit Horapollon Niliacus, cuius duo de Hieroglyphicis libri, a Bernhardino Trebatio Latine conuersi, a Dauide Hoeschelio illustrati, et Merceri scholiis aucti, extant. Longum etiam sit, enumerare, quae Ludouicus Casanoua, Ioannes Pierius Valerianus in uario eruditoque Hieroglyphicorum opere, et praeter ceteros Athanasius Kircherus in Oedipo Aegyptiaco, explicarunt. Nec uero, nisi leuiter, perstringo antiqua Pythagorae symbola, quibus magnam doctrinae suae partem, tanquam mysteriis quibusdam, recondidit, cum ea uel ab Tyrrhenis, uel ab Aegyptiis, quos adisse discendi causa fertur, didicisset. De qua quidem docendi ratione, symbolis et aenigmatis operta, operae pretium est cognoscere, quae
Lil.

Lil. Gregorius Gyraldus in symbola Pythagorae a p. 87. edit. Londinens. uberius exponit. Magis iuuabit meminisse, quod idem, quem paulo ante in medium protuli, Clemens Alexandrinus superiori adiungit sermoni, omnes, qui de rebus diuinis tractarint, Graecos non minus, quam barbaros, rerum quidem principia occultasse, ueritatem autem aenigmatis, signisque ac symbolis, et allegoriis rursus ac tralationibus, et quibusdam huius generis modis, tradidisse. In quibus quidem singulis cum Crypsin inueniamus, rei conuenienter fecerimus, siquidem partim *ἱερατικὴν*, partim *συμβολικὴν*, intelligamus

Sicuti uero immensus uniuersi huius architectus rerum naturam tam exquisito condidit artificio, tantaque sapientia construxit, ut ex operis praestantia opificem cognoscere a diuino Paulo iubeamur, et artem Dei in materia naturam rerum dicat Plato: ita dubitari non potest, quin in ea Crypsis, a summo indita artifice, inueniatur. Etsi enim tam eleganti inter sese ordine descripta constitutaque sunt omnia, tam sapienter cuncta reguntur, ut non potuerint non priscis hominibus et conditoris, et rectoris, indidem cum Platone pariter ac Cicerone colligendi, causam afferre: tamen, cum res tam uarias, tamque admirabiles, quocunque oculorum conuertamus aciem, nobis obiectas cernamus, non perinde humani uis ingenii rationem explicat, quam obrem, id quod admiramur, fiat, et undenam quidque oriatur. Ac licet saepe non desint causae, quibus rei cuiusdam effectus originem exponere posse uideamur: tamen, quam in lubrico insistamus fundamento, postea intelligimus, quam alterius cuiusdam momentis rationum nostrae robur sententiae debilitatur atque infringitur, tantisper dum existat alius, qui, ma-

DE CRYPSI

iori sagacitate adhibita, uictoriae fructum eripiat, et ignorantiae utrumque conuincat. Adeo retrusae sunt, et obscuritate inuolutae, et nescio quibus obseptae claustris, naturae latebrae, ut saepius probabilitas, quam explorata fides, ualeat, saepius mera fides, quam demonstratio, ac demonstratio saepius posterior, quam prior, et saepe falleretur industria, nisi historiae naturalis ope iuaretur. Scite Seneca Nat. Quaest. VII 31. *Eleusis seruat, inquit, quod ostendat reuisentibus. Rerum natura sacra sua non simul tradit. Initiatos nos credimus: in uestibulo eius haeremus. Illa arcana non promiscue, nec omnibus patent: reducta, et in interiore sacrario clausa sunt.* Quod cum non ignoraret Maro, poeta, incertum, an philosophus, maior, *felicem praedicabat, qui rerum, tanta circumfuserum caligine, causas, cognoscere atque inuestigare posset.* Atque hoc quidem tanto melius sensit ille, quanto magis perspexit Ecclesiastes, *omnium operum Dei nullam inuenire rationem hominem posse, eorum, quae fiant sub sole, et quanto plus laborauerit ad quaerendum, tanto minus inuenire.* cap. IIX Quod uti homines imbecillitatis admonet suae, quorum mentem tam infirmam agnouit Metaphys. I. Aristoteles, ut ueritatem perspicere non possit, certe tanta est intelligentiae mediocritas, ut nullius rei principia intima, et omnes omnino uires, pernoscere queat: ita eam comprobat Crypsin, quam haud inique τῆς φύσεως καὶ φυσικῆν nuncupamus

Quod si suspiciamus in coelum, non minorem, fateor, rerum admirabilium occultationem deprehendemus. Immo uero tanto haec maior erit, et inuestigatu difficilior, quanto latius patent termini, quibus innumerabilis siderum uarietas circumscribitur, quantoque longius corpora, tam immensis producta spatiis, a conspectu remouentur. Adeo ut multa
qui-

quidem, eademque admiratione dignissima, ueterum industria sapientum detexerit, multa recentior memoria, nouis adiuta praesidiis, addiderit, nec dubium sit, quin maiorum obseruationi studia posterorum plura semper adiicere queant: superius tamen aeuum inferiori non possit non plurima relinquere incomperta, neque ulla, quoad stabit naturae corpus, futura sit aetas, cuius aciem in orbium coelestium percursione nihil effugiat, et quae omnis peruestigatione recessu iare gloriatur. Quae quidem rerum abstrusarum occultatio uti latius patet, et neminem fugit: ita singularis est magis, quam Astronomorum scholae tradunt. Nam quae sidera uicini solis obruuntur radiis, et maiori obscurata lumine, delitescunt et oculis eripiuntur, uulgi opinione occidere creduntur. Quae sententia quam frustra sit, etsi non fallit uiros doctos, tamen qui cum ueritate, id quod res est, sentiunt, loqui cum uulgo non dedignantur. In primis poetae consuetudinem loquendi, uulgi usu contritam, non refugiunt, propterea quod causam habent, quam obrem ad multorum sensum captumque orationem componant. Quo fit, ut cum alibi, tum hoc loco, illam sequantur rationem, quam δημοπάθειαν dicunt Graeci. Sed iam dudum obseruauit C. Plinius, quem uirum naturae a bibliotheca fuisse credideris, melius occultationem, quam occasum, dici. Hac mente Graeci, qui in erudito puluere uersati sunt, quod alibi δύσις, et κρύψιν appellant. Lumen ad intelligentiam rei propositae praeferrat, id quod exponit eruditus Apollonii Scholiastes. ὁ ὑπὸ ταῖς αἰυγαῖς χροῖνι παῖς κρύψις ὀνομάζεται ad lib. III. Quemadmodum uero κρύψις ἡλιακὴ καὶ ἐπιτολὴ ἡλιακὴ apud Graecos, qui coeli metas radio describunt, distinguantur, explanat Cl. Salma-

ma-

DE CRYPSI

masius Plinianar. Exereit. 508. 509 paginis. Atque haec quidem Crypsis *μαθηματικὴ*, & *ἀστρονομικὴ* sigillatim, uocatur

Est quoddam consuetudinis genus, quo mire utuntur homines, cum aliter loquuntur, ac sentiunt, uel simulandi artes quaerunt, et aliud fronte promittunt, aliud in animo clausum gerunt. Cuius rei caussae plures sunt, et hominum uel ingeniis, uel prudentia, definiuntur. Nam quosdam ita finxit natura, sed praua et sinistra, ut callide et uersute agant, et, deposito ueritatis studio, specie blandiantur, amoremque in promptu, odium in abdito, habeant, et uideri alii, esse alii, uelint, ac decipere pro moribus temporum prudentiam credant. Quorum mores hominum scite, ut solet, exposuit, et imagine ingenii expressa, *perite adumbravit, perelegantis uir ingenii*, Ludouicus Molinaeus in exemplari speciose officiosi a p. 64. Nihil autem horum, quae ab illo dicuntur, fugiebat Senecam, illum, inquam, in cuius tragoediis tantus philosophiae moralis thesaurus latet. *O uita fallax! abditos sensus geris.* Norunt cetera, qui grauis poetam ingenii legerunt. Alii secus quidem, ac cogitant, dicunt et faciunt, sed insidias struunt nemini, et uel in discrimen adducti, hac arte sese expediunt, uel inuito alterius emendandi consilio, uitia, quae nescire se simulant, prudenti dissimulatione tacite corrigunt, uel hominum studia propensionesque animi facilius explorant, et illud sapientiae arcanum, quod in animorum notitia reconditur, altius scrutantur. Etenim Romanus ille morum magister magnis ducibus in laude ponit, quod, rebus afflictis, *hilaritatem de industria simulent, et aduersas res adumbrata laetitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem uiderint, et ipsi collabantur.* Libri, quo consolatur Polybium, cap. XXIV Cuius quidem rei non ignarus Aeneas, cum

tem-

tempestate distractus, et iactatus fluctibus, facta in Africae oram excensione, socios consolaretur, in aduersis uultum secundae fortunae gerebat, et *spem uultu simulabat* quidem ille, sed *altum*, ut ait uates, *dolorem corde premebat*. Aneid. lib. I. u. 9. Ac Didonem, memoriae tradidit Iustinus lib. XVIII cap. IV ad extremum, *dissimulato* abstrusoque odio, et mitigato, ne fratris parricidio uideretur offensa, *uultu*, sibi consuluisset, et auaritiam fratris crudelitatemque effugisse. Hoc uero illud est, quod eleganti uerbo *Φαυνοπροσωπεῖν* dicunt Graeci, et ipse Cicero lib. VII Epistolarum, quae ad Atticum extant, orationi Latinae intexit. Tiberius autem, quem nihil magis, quam dissimulationem, coluisse, hocque minus tulisse, recludi, quae premeret atque occultaret, C. Tacitus Annali IV cap. 71. auctor est: in aestiuis expeditionibus multum proficere Velleio Paterculo uisus est, cum ageret medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. in lib. II cap. CXIV. Vsu certe compertum est, multos pariter cum peccatis pudorem peccandi prodidisse, et neglecto famae iudicio, quae publice dici audierint, publice postea fecisse: non pauciores contra, qui uitia ignorari sua putarint, sponte ultroque ea paulatim uirtutibus emendasse, ne in uulgus emanarent, et bonos esse factos, cum se bonos duci putarint. Socratem, meminimus, a Crasso Ciceroniano omnium iudicio eruditorum, et totius suffragio Graeciae, cum prudentia, tum eloquentia, omnium facile principem poni, atque ipsius adeo Apollinis testimonio omnium omnino hominum sapientissimum iudicari. Quem tamen accepimus, multa sibi detraxisse, quae tribuerit aliis, omnium etiam disciplinarum rudem atque imperitum se finxisse, eoque, quid de quaere sentirent alii, instituisse percontari, et quaerendo elicuisse aliorum sententias, suam autem dissimulasse. Reticebat uero suam uir sagacis-

DE CRYPSI

simus, quo eas opiniones, quibus aliorum imbuti erant animi, facilius disceret: interrogabat, ut eliceret a singulis, unde conuinceret eos et confutaret: omnis doctrinae inscium se simulabat, quo doceret, cum doceri uelle uideretur: parum, aut nihil sibi, multum aliis, uindicabat, ut citius, id quod uellet, assequeretur. Quibus rebus factum est, ut *ἔρπων* diceretur, adeo ut, cum uerbo cetera communi aliquis, nomine omisso, appellaretur, Socrates indicari crederetur. Etsi uero Cicero *ἔργων* in omni oratione dissimulatorem Latinis uerbis interpretatur: ab eo tamen dissidet Fabius, eoque nomine hominem intelligit, qui non solum prae se fert imperitiam, sed alios etiam, tanquam sapientes, in speciem admiratur. Qualis cum fuisse feratur Socrates, eidem magno et rhetori et critico non alienum est uisum, omnem eius uitam nominare ironiam. Quae quidem singula cum ad complicandas animi notiones pertineant, et aliud fieri ac dici, sentiri aliud, ostendant: caussa fuerit, quamobrem hanc occultandi rationem Crypsin *ἡθικῶν* dictitemus. Ac cum hoc loco morum habenda sit ratio, non est praeterendum, Iulium Firmicum homines dixisse *crypticos*, quos Plinius *omnis secreti capacissimos* appellarit. Neque id inscite, quando illi, qui res fidei commissas retinent, fideli taciturnitate tegunt et celant.

Latent in regnis, rebusque publicis, et magno studio curaque abstruduntur, interiores quaedam et reconditae rationes, siue occulta, et paucis cognita, consiliorum genera, quae prudentia regendi suggessit, et multarum euentus rerum uel constituit, uel correxit, ac solers circumspectio retinet, iudiciumque pragmaticum expediendis temporum difficultatibus impertitur. Quae quidem eo referuntur ac pertinent, ut partim

tim

tim praesentis reipl. forma et status in tuto collocetur, partim eorum, qui rerum summam administrant, salus et securitas contra dubios et ancipites casus sepiatur praesidiis ac firmetur, partim eorum, qui civilis obsequii lege tenentur, tranquillitas et felicitas ab omni detrimento integra conseruetur. Sed cuius sint generis, et quo habenda loco, quoue comprehendenda numero, nec nobis definire uacat, nec, cui uacat, potest. Nam si rerum publicarum uarietatem mente et cogitatione percurramus, constabit quidem, in ea, cui praesit unus, frenis quibusdam, tectius iniectis, patriciorum et plebis conatus coerceri: ubi rerum potiantur optimates, arcanis consiliis audaciam plebis, et principatus cupiditatem, refrenari: cum potestatem teneat populus, omni cura prouideri, ne quando uel patriciorum libido emergat, uel tyrannis concupiscatur. Quod si eos contemplemur, qui personam reipublicae gerunt, perinde cognoscemus, eorum incolumitati atque auctoritati, collocatis tacite praesidiis, tam uarie caueri, ut alia imperii arcana dominationem regiam, alia optimatum, alia popularem, defendant. Nec uero minus in expedito est, uel eos, qui rem publicam capessunt, et muneribus perfunguntur, secreta sui tuendi consilia fouere, cum ne dubitari quidem possit, quin priuata cuiusque non infimi fortuna quaedam arcana domus alat, et cautionibus utatur, quibus uel otium, uel dignitas, uel cum dignitate otium, retineatur. At quae tandem illa, eademque singularia, et tanquam in penetralibus condita, sint subsidia, quibus rerum publicarum, eorumque, qui clauum in iis tenent, tum eorum quoque, qui ceteris praelati consulunt in commune, et ciuium denique, securitas fulciatur; is existimauerit demum, qui non generalibus quibusdam regulis nitatur, sed omnium omnino rerum publicarum, omnium eorum, qui has uel gubernant, uel opera consilioque

DE CRYPSI

iuuant, omniumque ciuium, intimas rationes introspeciat, et penitus exploret. Quod sicuti tantae difficultatis est, ut ne hominis quidem esse uideatur: ita nos parum discruciat animi, quibus sat fuerit, nosse, operta haec et remotiora instituta ea contineri Crypsi, quam, ipsius ammonitu rei, *πολιτικὴν καὶ πραγματικὴν* uocamus. Quorsum operam nauant ciuili prudentiae scriptores, qui uel cum Ludouico Septalio rationem status, uel cum Arnolfo Clapmario arcana imperii exponunt

Quodsi e luce reipublicae pedem efferamus, et umbracula eruditorum ingrediamur, offendemus quandam occultandi rationem, qua ueteres uaria doctrinarum genera, uariis ducti causis, tanto abdiderunt studio, ut obscuris inuoluta signis, scientiarum mysteria paucis *enunciarentur*. Quem occultum docendi morem altius repetit Franciscus Patricius *Discuss. Peripatetic. T. III lib. I* et a Macrobio Conimbricenses in eam defendunt sententiam, ut contendant, nefas duxisse ueteres, sapientiae adyta profano aperiri uulgo, et quae remota essent a conspectu, et multo ab se labore quaesita, ac uix inuenta tandem, cum inertis ac segni multitudine communicari. in lib. I. *Phys. Aristot. cap. VII Artic. I* Quod recte, an perperam, factum sit, magnum quondam Lipsiae ornamentum, Iac. Thomasius disceptat, *Program. quod inscribitur de occultatione scientiarum p. 721.* Sigillatim occurret nobis quaedam disputandi solertia, quae longius a conclusione reque proposita deflectit, et cauet sedulo, ne, quo ualeat argumentatio, prouideatur. Quam quidem magnus rei Dialecticae auctor, Aristoteles uocat *κρύψιν τοῦ συμπεράσματος*, et qui eius instructus armis, in certamen descendit, *κρύπτοντα*, et *κρυπτικῶς πυνθανόμενον*. Cuius rei rationem lib. IIX *Topicorum cap. I.* ex instituto tradit. tanquam

quam προσυλλογίζεσθαι, διῶν ὁ συλλογισμὸς τῆ ἐξ ἀρχῆς μέλλει γίνεσθαι, item συμπέρασμα μὴ λέγειν, ἀλλ' ὑπερον συλλογίζεσθαι ἀθρόα, et ἔτω ἐρωτᾶν, ὡς τε ἠρωτημένῃ τῆ παντὸς λόγου, καὶ εἰπὺν τὸ συμπέρασμα, ζητεῖσθαι τὸ διὰ τί. et sic deinceps. Quorsum doctissimus Philosophi explanator, Alexander Aphrodiseus, κρύψιν, docet, εἶναι μέθοδον, δι ἧς οἰόντε λαμβάνειν συλλογιζόμενον τὸ προκείμενον. Totidem uerba cum referat Suidas, quem nemo ignorat, aliorum quidem ore facundum esse, sed parui pendere, idquod dixerat ille, ingenui esse, fateri, a quibus profeceris: adiungit quaedam. Χρησέον δὲ πρώτασσι τὸν κρυπτικῶς ἐροῦντα ὡς τε ἠρωτημένων πασῶν τῶν προτάσεων, δι ὧν δείκνυται τὸ προκείμενον, καὶ τοῦ ἐσχάτου ἐπὶ τοῖς ἠρωτημένοις ἐπόμενον συμπέρασμα τοῦ ῥηθέντος, ἀδηλον ὄν, πῶς οὕτω συνάγεται ἐκ τῶν κειμένων καὶ ζητεῖν τὸν ἀποκρινόμενον διὰ τί οὕτως ἐπιφέρει τοῖς κειμένοις. h. u. Quae cum legit, et, qua solet iudicii facultate, expendit alter Germaniae Hermogenes ille quidem, sed non minor rei Dialecticae doctor, Ioannes Sturmius, occultationem hanc, colligit, esse *rationem abscondendae conclusionis, atque eius, quod uel comprobare uelis, uel per quod uelis fidem struere.* Haud secus, ac dixi, rem propositam finit, lib. IV p. 200. auersa Partitionum Dialecticarum, quarum tum doctrinam, tum elegantiam, in oculis fero. Postea uero, quam aperuit, apud quos hoc disserendi genus adhibendum sit, omnem argumenti expositionem praecipis, ex ordine traditis, comprehendit. In primis laudanda est erudita explanatio, qua ostendit, ἀπόσασιν ad superiora fieri, et κρύψιν Dialecticam inesse, in percelebrata argumentatione illa, quam in Platonis Phaedro ad firmandam animorum immortalitatem affert Socrates, et Cicero libro Tusculanarum Quaestionum primo interpretatur, et tam subtili ratione conclusam esse contendit, ut neget, eam a plebeiis philosophis intelligi posse, Atque haec quidem occultatio

DE CRYPSI

quemadmodum et prouida cautione declinanda, et instruenda sit, praecipit Petrus Ramus, eamque ad ἀνάλυσιν obscuritatis, et prudentiae μέθοδον, refert. Ita uero docet Schol. Dialect. lib. VIII cap. IX et lectorem ad Analyticos Topicosque libros delegat, quos adire non uacat, cum praesenti sufficiat instituto, Crypsin, tam illam ἐπισημης, quam hanc διαλεκτικην, uel a limine salutasse

Nec uero Dialecticus solum Crypsin adhibet, sed Rhetor etiam, et qui ad dicendum accedit, Orator. Cum enim tectum disputandi genus sequatur Dialecticus, quo aduersarium captiosarum laqueis interrogationum irretiat, et illaqueatum teneat tantisper, dum circumuentus ille et constrictus, ad sententiam, abs qua refugiebat, ingratis amplectendam, compellatur: Rhetor, uel qui ascendit in concionem, Orator, occultam dicendi rationem inuit, quo facilius ad auditorum animos pateat aditus, et quod intererat his inferi, minori repulsae periculo, maiori que commodo, persuadeatur. Namque ubi, partibus quaestionis propositae diligenter excussis, ope locorum, uel Dialecticorum, uel qui his nituntur, Rhetoricorum, argumenta et inuenit, et perite selegit, iamque illorum instruit aciem, operam dat, ut modum rationes concludendi scienter occultet. Hac mente Enthymemata praecipue adhibet, Inductionem etiam et Exempla, nec raro Dilemma, interdum Soriten quoque, quem acerualem dicunt Latini, ratiocinationes autem, ordine plerunque immutato, collocat, adeo quidem, ut non inuersae modo, uerum pronunciatis etiam auctae, et nunc quadripartitae, nunc quinquepartitae, euadant. Sigillatim ubi consolatione excitandi sunt animi, praesidium in occultatione ponit, cum uel recens est dolor, et medicinam respuit, uel quis maioris laudem fortitu-

titu-

titudinis appetit, quam ut consolationis egere uideatur. Quorum certe occultandi subsidium tum alii dicendi magistri, tum, quo maiorem patrum aetas non tulit, G. I. Vossius commendat, institutionum, e quibus unis se profecisse fassus est Ios. Scaliger, Orator. lib. III cap. VII. Ac si unquam, certe in argumento imitandi, plurimum momenti habet Crypsis, ob eamque rem Appositio, Detractio, Transpositio, Immutatio, Copia, Breuitas, adhibentur. Qui enim hoc de Imitatione oratoria lib. III cap. III praeclare docet Ioannes Sturmius, eiusdem initio libri non minori iure praecipit, uti multum referat, imitando exprimi scriptorem aliquem magnum, si *lateat* imitatio et occultetur: ita eam fore ineptam, si *pueriliter* accommodata *appareat* et extet. Quo loco ad oram adscribuntur τὰ κρυπτέα, et infra, partes τῆς κρύψεως ἢ καλύψεως. Eandem in sententiam scite nos commonefacit Romanus ille morum studiorumque, sed infelix, doctor: nos, quae ex diuersa, seu multa unius lectione congesserimus, separare debere: deinde, adhibita ingenii cura et facultate, in unum saporem uaria illa libamenta confundere: ut, etiamsi apparuerit, unde sumtum sit, aliud tamen esse, quam unde sumtum est, appareat. Omitto reliqua, quae similitudine, a corpore humano petita, rem illustrent, et Epistolarum, quae ad Lucilium datae sunt, LXXXIV consignantur. Sane, quod de ratione exornandi lib. Rhet. III cap. II dixit Aristoteles: δεῖ λανθάνειν ποιούντας, καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπωλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως. τῆτο γὰρ πιθανόν. ἐκείνο δὲ τούναντίον id uero dubium non est, quin ad omnem dicendi rationem referatur. Ut uere dicat Fabius lib IV cap. II artem desinere esse, quae appareat, et lib. IIX cap. III in dicendo artes altiores plerumque

DE CRYPSE

que occultari, ut artes sint. Quocirca non iniuria existimat Petrus Cunaeus, *artem ueterum omnem fuisse, artem dissimulare, uti effectum eius cuncti cernerent, cuius lateret habitus.* Orat. V p. 118. Egregia uero sententia, et ueterum prudentia oratorum maxime digna, quae declarat, cordatissimos mortalium omnem artis suae uim in dissimulatione artis consumpsisse, et cauisse maiorem in modum, ne inepta ingenii pariter ac doctrinae ostentatio fidem detraheret atque auctoritatem, uel ambitiose quaesita obscuraque industria dicendi gratia corrumpetur. Nec uero alia suberat causa, quam obrem negaret Plinius, memoriae suae oratorem nihil peccare, nisi quod nihil peccaret, et saepenumero Graeci Latiniue ueteres non ingrata, quam uocat Cicero, negligentia hominis, de re magis, quam de uerbis, laborantis, opinionem nimiae ambitiosaeque expolitionis declinarent. Praesertim cum Aristoteles ipse, accuratus alioquin et grauis dicendi magister, docuisset, optimam esse legem negligere interdum leges. Quam rationem multi non capiunt, cum aspera, sibila, hiatus, tam in oratoribus, quam poetis, Graecis aequae ac Latinis, uel mirantur, uel emendare audent, secus facturi, si meminissent, hoc negligentius scribendi consilio artem prudentissime dissimulari, et quando ea, quae incuriosius scribuntur, eam sibi gratiam saepe pariunt, ut ipsam diligentiam superet negligentia, fieri non raro, ut deliberatus error figurae induat persuasionem. Prorsus atque omnino id assentior uiro aetatis suae ingeniosissimo, Emanueli Thesauro, et tanto magis largior amplius, oratoriae interdum uirtutis fore, incurrere in uitium, et relinquere locum τῆ κακοφωνία, quo uitium nimii cultus, quod κακοζήλιαν dicunt Graeci, excludatur, hoc diligentius arti fugiendum, quo magis aperit eam et nudat. Id quod docet in libro, qui Latine conuersus inscribitur de idea argu-
tae

tae dictionis, et magni scriptorem ingenii ostendit, nec minoris ingenii lectorem requirit, cap. IV p. 184. Ac bene profecto sensit purpuratus pater, Perronius, artis affectatae uitium in poeta, quam in oratore, magis excusandum esse, propterea quod a poeta res quaedam cum meditatione coniunctae, et quae exuperent expectationem, expectari soleant, quicquid autem domo afferre auditori uideatur orator, id ei sit suspectum. Quod ne usu ueniret, uiros olim eloquentissimos constat, data opera seueram dicendi legem uiolare uoluisse, et de industria contraxisse uitium, eoque peccandi proposito plus, quam exquisitissimo perficiendi studio, profecisse. Immo uero sophistarum ueterum, quorum uim in dicendo, ex omni antiquitatis iudicio repetitam, ex instituto docet Ludouicus Cresollius, prudentissimi adeo artem celarunt suam, ut ipsum etiam nomen aliarum nomine artium occultarint. Idem tradit in Protagora Plato, et de Damone, qui musicus dici uoluit, in uita Periclis pronunciat Plutarchus, eamque dicendi facultatem nunc gymnasticae, nunc musicae, artium uelo praetextam fuisse, Leonardus Cozzandinus sciti operis, quod de magisterio antiquorum philosophorum inscribitur, lib. I. cap. II. exponit. Sed illa, quae superius edisserui, cuncta si non nominant, illam saltem notant Crypsin, quam non temere *ῥητορικὴν* appellemus

Ne longius abeamus, superest quoddam occultationis genus, in perfectioribus poetarum monumentis abstrusum. Quod summam quidem et delectationem uatum, et admirationem, quibusdam affert, multos tamen, ac potius plurimos, recessus sui altitudine impedit, quo minus pro dignitate de poesis praestantia sentiant, et, quam falso separant utilitatem, cum iucunditate ac uoluptate con-

D

iun-

DE CRYPSI

iungant. Id autem ne nos fugiat, in ipsismet poetarum in-
 nimentis uariam occultandi rationem, oportet, distingua-
 mus. Namque alius est occultandi modus, cum figurato et
 poetico eloquendi genere rem exornamus, alius, cum in fa-
 bulis allegorica quaedam sententia, eademque de historia,
 uel de adytis philosophiae petita, absconditur, alius demum,
 cum singulare quoddam artificium rei ritu, poetarum pro-
 prio, occultandae in inueniendo disponendoque adhibemus.
 Etsi igitur tantum abest, ut Crypsis, quae nobis est curae,
 priora occultandi genera respuat, ut ea potius uocet in partes,
 atque adeo cum Crypsi Physica, Ethica, et Rhetorica, multa
 habere communia uideatur: tamen ab iis merito distinguitur,
 et quandam constituit facultatem, quam in poeta, eximie di-
 cto, sigillatim admirari solemus. Quae quidem reddi pot-
 est ratio, quamobrem Crypsis *ποικιλὴ* a nobis dicatur

Seruius, Virgilii explanator, ad I. Aeneid. *artem poeticam*,
 et Macrobius lib. Saturn. V. cap. II. ubi de arte Homeri, eius-
 que aemulo, Marone, differit, *poeticam disciplinam*, uocant.
 Sed nimis generatim loquitur uterque, propterea quod haec
 tam artis, quam disciplinae, appellatio, qua ipsius rei poeti-
 cae doctrina, funditur, neque hanc modo, quae in discepta-
 tionem cadit, uerum alias etiam poetae uirtutes facultates-
 que, comprehendit. Nisi forte meminisse iuuet, et enarra-
 torem, et Saturnaliorum scriptorem, de poesi Epica sermo-
 nem suscepisse, in eaque uirtuti huic tribuisse tantum, ut eam,
 tanquam praecipuum illius decus, eximio nominis usu coho-
 nestandam putarint. Eruditus Homeri Scholiastes, Eustathi-
 us, *ἀρετὴν* dixit ad Odyss. M. p. 1710, cum docuit *τῆς ποιήσεως ἀ-
 ρετὴν σοφίζεν μεθ' ἡδονῆς*. Quam quidem philosophandi ratio-
 nem, cum uoluptate coniunctam, si ulla re, certe Crypsi Poe-
 tica

rica contineri, et constat iam aliunde, et postea, nobis interpretibus, clarius patebit. Nec uero est, quod rem altius petamus, cum idem doctissimus explanator ad *ιλ. α* sine ulla dubitatione id nominis expromat. *αὕτη γὰρ ἀρετὴ ποιήσεως*. Reliqua facio missa. Pari modo uirtutis nomine insigniuit Horatius, cum poetici *ordinis uirtutem et uenerem* in eo collocaret, ut iam dicantur aliqua, iam differantur. Id quod perficere Crypsin, inferius edocebo. Uterque, quod liquet, non temere quidem, sed laxius, loquuntur. Ex quo tamen cognosci potest, quantum momenti ponant in ea ingenii facultate, quam eminenti uirtutis appellatione condecorarint. Idem Eustathius *μέθοδον οἰκείαν* uocat, qua proprie usus sit Homerus. *εἰ καὶ ἄλλως κατὰ μέθοδον οἰκείαν καὶ ἕτερα πολλά παρενέπλεξε*. Prooem. in *ιλ. p. 5.* ubi *παρεμπλέκω*, quod ei alibi est *παρενσπείρειν*, *παρενθεῖναι*, Philosopho, *παρενεύρειν καὶ ἐπεισοδιῶν*. Petronius, ingeniose nequam ille quidem, sed maior profecto plurimorum opinione criticus, et elegantis omnis doctrinae peritus arbiter, Crypsin, in qua mentem cogitationemque figimus, *per ambages, deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum*, intellexit, cum poetam informaret, eumque secerneret a *uersificatore*, cuius ars omnis in eo uersaretur, ut *uersum pedibus instrueret, sensumque teneriorem uerborum ambitu intexeret* et conuestiret. Satyr. 155. 156. pp. Quae licet pluribus uerbis enuncientur: tamen, cum ea rei exprimendae non parum sint accommodata, eius notionem definiunt diligentius ac discernunt. Nil autem sibi uolebat aliud Patrum Latinorum eloquentissimus, Lactantius, cum mentionem faceret *obliquarum figurationum*, easque *cum decore* coniunctas, ad dignitatem poetices officiumque referret. lib. I Instit. Ita uero Crypsios comparata est ratio, ut in ea per obliquos anfractus, et figuratos ambitus multa sint instituenda,

DE CRYPSI

quo res, in alias conuersae species, latitent, et iucundius proponantur. Adductius, id quod quaeritur, *κάλυψιν*, et occultationem, usitatus Crypsin, appellabis. Atque horum quidem uerborum extremum uel idcirco amplectimur, quod idem adhibuisse saepius Aristotelem, nec refugisse Graecos et Latinos enarratores, et ipsam denique eruditorum consuetudinem usumque, tum in alio, tum in rei poeticae argumento, approbasse, non ignoramus. Alioquin inficiari non possumus, eo uerbo, quemadmodum ostendimus, occultationem seu occultandi rationem illam quidem, sed singularem, uel, dixerò planius, facultatem rei, poetica inuentione ac dispositione occultandae, designari

Quam quidem Crypsin, parum abest, quin comminisci uideamur, iis quidem, qui eam in recentiorum poetarum, eorumque nostrae potissimum memoriae, scriptis, quocumque quaerant studio, ne inuenire quidem possint. Insolentius equidem, et perperam, fecero, si uel ceterorum spatia temporum, uel seculum quoque nostrum, tam sterilia poeticae laudis et effoeta dicere ausim, ut iis uel defuisse, uel etiam nunc deesse credam, qui facultatis huius fuerint apprime periti, nec spernenda dederint documenta. Potius, idque ne admonitus quidem, fatebor, nihil huius doctrinae fugisse Franciscum Petrarcham, Maphaeum Vegium, Iouianum Pontanum, Angelum Politianum, Actium Syncerum, Sannazarium, Hieronymum Vidam, Balthasarem Castilionaem, Scaeuolam Sammarthanum, Renatum Rapinum, Dominicum Baudium, Casparem Barlaeum, H. Grotium, Danielem et Nicolaum Heinios, P. Melissum, Fridericum Taubmannum, Nicodemum Frischlinum, Augustum Buchnerum, et alios, qui uel superioris, uel aetatis nostrae, studia splendo-

re

re carminum illustrarunt. Verum tamen qui sciam, hos tales uiros sciuisse, quid in omni ratione poetices optimum maximeque laudandum foret: ne illud quidem ignorare queo, alios aliis in poetices studio maius operae pretium fecisse, in epico praesertim iustoque opere, ad quod uti quisque uel ingenii, uel artis, obseruatione ueterum studioque partae, uel curae diligentiaeque, plus attulit; ita partes officii, quod Crypsis imponit, feliciter expleuit. Sed ne horum labores ad accurati seueritatem iudicii superbis reuocemus, eius potius facultatis, quam persequimur, gloriam cunctis his largiamur, eosque cum ceteris, qui poetarum sibi nomen arrogat, comparemus. Vtrorumque studiis inter se collatis, perspiciemus primum, illorum, qui ad exemplum consuetudinemque ueterum se componant, paucitatem horum, qui nouum poetices genus arbitrato suo sibi confingant, innumerabili prope multitudine penitus obrui: tum, in illorum scriptis, ad antiquitatis iudicium conformatis excultisque, multa tam ingeniose inuenta, quam perite prudenterque disposita, inueniri; in horum contra monumentis adeo nullum poeticae huius uirtutis extare uestigium, ut, si numeros, quibus adstringitur oratio, detraxeris, nulla poeticae facultatis pars reliqua esse uideatur. Etiam si uero in horum, a quibus abest scribendi iudicium, scriptis nullum Crypsios, in cuius inuestigatione collocamus operam, euincendae comparet argumentum: tamen eorum uel inscitia, uel negligentia, tantum non ualent apud homines rerum intelligentes, ut, quod uel nesciant isti, uel negligant, idem ne dari quidem putent, ob eamque rem laborem, qui ponatur in eius peruestigatione, perdi credant. Etenim constat, ab historico non eo differre poetam, quod soluta oratione ille, hic utatur uincta, sed inter utrumque hoc interesse,

DE CRYPSE

quod alteri lex historiae praecipiat, nequid narret, quod factum non sit; alter dum narrat, quod est factum, imitetur praeterea multa et fingat. Hoc enim illud est, quod monet Aristoteles: ποιητὴν πᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, libri, qui de poetica reliquus est, cap. IX. Quo fit, ut in fabulosa fictione tanquam forma poesis et anima consistat, atque ab iis adeo, qui rem uelint ad uerum magis exigere, poesis ipsa dicatur fictio, et uelut forma poematis a poemate, tanquam sine fructuque, quam poeta posuit, operae distinguatur. In quam sententiam, Plutarchum poesis expertem fabularum commentorumque non nosse, inferius ostendemus. Sed imitatio pariter et fictio ita debet instrui, ut, quod instituimus enarrare, nouam uiuamque induat faciem, et multa quidem ad ideam expoliendam perficiendamque conficta recipiat, omnia tamen ad similitudinis legem conformet, et suo quodque loco inserat, quo artificium ingeniose dissimuletur, et res, in naturalem uersae modum, denuo geri uideantur. Quare quaerendum fuerit aliquod artificium, quo res inuentas et confictas non apte solum digeramus, sed occultemus etiam decore, et constituta probabilitatis opinione, naturae consentaneas, reddamus. Id quod unam praestare Crypsin, et norunt eruditi, et infra declarabo. Nec uero minus nouimus, esse poeticae propositum, ut doceat delectando. Hoc enim est, id quod ὁ γεωγράφος, qui tam multa praeclare disserit, grauibus argumentis, nec de medio petitis, aduersus Eratosthenem, cui nugae agere uidebantur poetae, libro I. peruincit, eos ἂν μόνον ψυχαγωγεῖν, ἀλλὰ καὶ διδάσκειν. At quo delectent, non eam, quam historici, narrationem adhibent, sed orationem iucundio rem multo et suauio rem. Namque cum iis magnopere oblectemur et facile capiamur homines, quae

quae non nulgaria et leuia, sed admirabilia et magna, esse ui-
 deantur: hi quidem, ingenia hominum naturamque secuti,
 ad augendam animi uoluptatem plurimum interesse intelli-
 gunt, ut insignes actiones et praeclarae concinno imitandi ge-
 nere effingantur. Quo uero doceant, exquirunt genera-
 lia, nec solum, quid factum sit, sed etiam, quid oportuerit fi-
 eri, quidue decuerit, contemplantur. Hoc enim illud est,
 quod ait Aristoteles, historiam τὰ κατ' ἕκαστον, poesin τὰ κατ' ὄλκιον
 spectare. Quae ubi mente sunt et cogitatione complexi, con-
 stituunt χαρακτῆρας, eorumque imaginem in illorum uita, mo-
 ribus, rebusque gestis, adumbrant et depingunt, quorum fa-
 cta uersibus mandant. Siue igitur actionibus artificiosius ef-
 fingendis delectationem parere studeant, artificio quodam e-
 gent, quo institutum imitandi diligenter occulatur: siue per
 generalem quandam ideam docere parent, subsidium arces-
 sant, necesse est, quo et idea, et quos haec edit χαρακτῆρες, ho-
 rumque accommodatio rebus immersa singularibus, abstru-
 dantur. Neutrum uero fieri sine Crypsi, et periti norunt, et
 inferior dicendi locus effectum dabit. Silentio transeo reli-
 qua, quae facultatem hanc non uano, nec fallenti, compro-
 bant indicio, qui non ignorem, si cetera deficient cuncta, u-
 num certe illud instar omnium fore, quod principum exem-
 pla uatum suppeditant, argumentum. Nam si doctrinae
 ratio, quam γένεσιν uocant Graeci, uniuersam scribendi re-
 gulam non tam ingenio cuiusuis et praeeptis, quam sum-
 morum iudicio atque auctoritate scriptorum, definit, propter-
 ea quod praeepta dubios tenent animos, fieri ne possit o-
 mnino, et recte fiat, quod doceatur; exempla contra de-
 monstrant liquido, quod ab eminentibus factum sit ingeniis,
 et tanta factum sit gloria, id nullo discantis periculo doceri
 pos-

DE CRYPSI

posse: iudicari facile potest, praesidio sat firmo septum iri hanc Crypsin, dum ea usos esse poetarum praestantissimos, et magnam sibi laudem conciliasse, cognoscamus. Quod si Aristoteli operae pretium est uisum, praecipuam doctrinae, quam de re poetica literarum monumentis consignauit, partem ex Homeri fontibus haurire: multo pluris fieri debet, quam indagamus Crypsin, tam ex Homero, quam Virgilio, poetarum duumuiris, edoceri posse, adeo ut simul appareat, potissimam horum commendationem operum illius, quae multorum fugiat industriam, usu adiuumentoque contineri. Fidem dicto faciet ἀνάλυσις, et γένεσις sine difficultate firmabit, nequis ausit in reliquum de Crypsi, quae in oculos incurrat, dubitare. Nos quidem eius institutum rei tantisper differimus, dum in alium delati locum, commodius persequamur

Est igitur haec Crypsis propria quidem poetices, sed non tam in peruulgata illa et facili, quam in recondita et difficili-ori quaerenda, cum ad ampliora perfectioraque praecipue poemata dirigatur. Etenim poetice plus, ac fronte promittere uidetur, et multis est persuasum, in recessu habet. Cuius duo sunt genera, quorum alterum τῆς ἐξωτερικῆς, alterum τῆς ἀκροατικῆς seu ἀκροαματικῆς, merito uocamus. Quae quidem uerba, non possumus inficiari, ab Aristotelis schola nos petisse. Philosophus enim, ut est apud A. Gellium Noctium Atticarum lib. XX cap. V duum generum disciplinas habebat, quorum alterum τὰ ἐξωτερικά, alterum τὰ ἀκροατικά, nominabat. Commentationes ἐξωτερικαὶ dicebantur, quae in exercitatione dicendi, facultate argutarum, ciuiliūque rerum notitia, occupatae, uesperis et uulgo, nullo iuuenum delectu, tra-

tra-

tradebantur. *ἀκροατικαὶ* uero erant, quae in reconditis philosophiae doctrinis positae, naturae contemplationes disceptationesque dialecticas matutino tempore docebant, nec patebant cuiquam, nisi cuius ingenium, et eruditionis elementa, et cupiditatem discendi laboremque Philosophus diligenter explorasset. Easdem *ἑσωπτικὰς*, uerbo quodam ab interioribus petito sacris, a Peripateticis appellari, tradit Plutarchus, et *ἑσωτερικὰς* uocat Lucianus. Qui uero his recitationibus intererant, eos germanos discipulos nominat Ammonius, et interioris huius disciplinae nomen extitisse dicit, *διὰ τὸ πρὸς τῆς γνησίους ἀκροατὰς ποιῆσθαι τὸν λόγον*. Contra, quam *ἑξωτερικὰ* nuncuparit Cl. Alexandrinus in lib. V. Stromat. *διὰ τὸ πρὸς τὴν τῶν πολλῶν γεγράφθαι ὠφέλειαν*. Sicut igitur disciplina, quae dictitabatur *ἑξωτερικὴ*, rebus facilioribus et expositis magis operam dabat, eoque a multis intelligebatur; altera contra, quae uocabatur *ἀκροαματικὴ*, in difficilibus et abstrusis maxime uersabatur, ob eamque causam capiebatur a paucis: ita poetices genus aliud leuiores tractat et obuia cuius, et percipitur a mediocribus ingeniis, aliud grauiora et recondita, nec nisi in eorum, qui praestantioribus praediti sunt, intelligentiam cadit. Nimirum constat non obscure, poetice *ἑξωτερικὴν* dici, quam et *τεχνικὴν* uocites, quae externam uersus formam, eiusque dimetiendi rationem constituat: *ἀκροαματικὴν* contra, quam et *κριτικὴν* nomines, quae interiorum carminis habitum iudiciumque ad uirtutes, ex lege decori descriptas, conformet. Illa puerorum est et tironum, uulgariumque praecipis libellorum comprehenditur, et, quam uocat Columella, uersificandi artem, et quem Fabius, uersificatorem, facit: haec uiros, et adulti homines iudicii, doctrinaque firmatos, exigit, et enarratorum Graecorum Latinorumque animad-

E

uer-

DE CRYPSI

uersionibus, in primisque illustrium obseruationibus exem-
 plorum, et artificii, quod in sua resoluatur principia, perue-
 stigandi peritia, nititur, ac poetam, siquidem non desint
 cetera, parit. Quod quidem poetices discrimen cum mul-
 ti negligant, uere praedicat Petronius, *multos carmen dece-
 pisse*. Id uero cum lego, et quae consequuntur, compa-
 ro, reperisse uideor, quod rationibus instituti mei ualde
 conducat. Tanto magis mirari subit, quid sit, quod cum
 tot in Arbitrum cumulentur commentaria, et tot loci le-
 uioris momenti tam copiose, et tanquam suscepto doctri-
 nae certamine, a multis exponantur: nemo, quem uide-
 rim, hunc tam insignem, et altioris indaginis, ulla, quae
 rei fontes exhauriat, animaduersione, quantum satis fit,
 explicarit. At eo poetices, quam protulimus in medium,
 differentia, et ipsa pariter Crypsis, continetur. Nam quae
*uersum pedibus instruit, sensumque teneriorem uerborum
 ambitu intexit, ἐξωτερικὴ ἢ τεχνικὴ*, quae generosiore spiri-
 ritum amat, et mentem ingenti flumine literarum inunda-
 tam poscit, et cuius sententiae intecto (intexto) uestibus co-
 lore nitent, ac quae per ambages praecipitat liberum spiri-
 tum, ἀκροαματικὴ ἢ κριτικὴ uocatur. Vti uero exiis, quae
 deinceps disputabimus, intelligetur, commemorato Pe-
 tronii loco praecipua Crypsios munera constare: ita suffe-
 cerit in praesens, indidem poeticen, quam quaerebamus,
ἀκροατικὴν euinci. Atque in horum quidem postrema do-
 micilium constituit Crypsis, et tam remotis, tamque inac-
 cessis, obiecta latebris, a quibusdam parum, ab aliis uix ac
 ne uix quidem, cognoscitur, paucis denique, qui acie men-
 tis, lumine literarum collustratae, res acrius contemplan-
 tur, penitus conspiciendam se praebet

In

In quam ut aciem mentis propius intendamus, intelligendum est, ad Crypsin efficiendam naturam, ad poetices studium propensam, plurimum, artis curam permultum, ualere. Nam quod in illiberalibus etiam ac sordidis, quae artuum robore, membrorumque reguntur opportunitate, artibus cernere solemus, illas ita quemque condiscere facillime, commodissimeque facere, ut eum quam aptissimum finxerit natura: id tanto magis in ingenuis illis atque honestis, quae mentis habilitate constituuntur, animaduertamus licet, quanto difficilius res animi, quam corporis, uiribus geruntur. Quo praeclarius fecisse credendi sunt Athenienses, quos comperimus, pueris, eo aetatis iam progressis, ut certum uitae genus sequi possent, omnis generis instrumenta proposuisse, quo eam cum instrumentis artem quisque deligeret, ad quam eum natura cum maxime cohortari uideretur. Nec uero minus laudandus fuerit Apollonius ille Alabandensis, quem de Oratore auctor est Cicero, eorum, quos in disciplinam tradiderint parentes, ingenia, facto diligenter periculo, explorasse, eosque, si minus haec essent idonea, abiecta omni cunctatione, dimisisse, ne frustra discendi labore fatigarentur. Nam perite, ut multa, princeps ingenii ac doctrinae Plato: si tibi tribuerit, inquit, natura, ut sis orator, accedente doctrina et exercitatione, excellens eris orator: si quid autem horum defuerit tibi, mancus eris. Cum autem praestans naturae habitus in omni doctrinarum genere ad comparandam scientiae laudem tantum afferat adiumenti, ut ei primae merito deferantur: tum confert ad facultatem poeticam plurimum, adeo ut non desint inter ueteres, qui poetam nullo, quam naturae, subsidio metiantur. Equidem non sum nescius, amplissima ui-

E 2

rum

DE CRYPSE

rum doctrina, G. I. Vossium, Diogenis Laertii uerba, quae sunt in uita Xenocratis, in eam cepisse sententiam, ut artem poesi, naturam oratoriae, assignarit, cum naturam poetices cap. I. indagaret. Adeo tamen per transennam Diogenem aspiciat nemo, quin uideat, summum cetera uirum a Laertii iudicio longius abesse, qui contendat, poetas, ubi adiecerint animos ad prorsam, bene; pedestres contra scriptores, ubi accesserint ad uorsam, male rem gerere, eoque intelligi posse, τὸ μὲν φύσεως εἶναι, τὸ δὲ τέχνης ἔργον, uorsam naturae, prorsam artis, esse. Nihil hic dicit, quod non prius dixerit Democritus, Abderitarum sapiens, isque, qui alioqui dicere solitus est, ὅτι πλέονες ἐξ ἀσκήσι καὶ ἀγαθοὶ γίνονται, ἢ ἀπὸ φύσι; adeo negauit, poetas arte subleuari, ut fortunatius arte misera crediderit ingenium, et sanos poetas exclusit Helicone, quemadmodum constat ex Horatio de Arte Poetica, ut inscribitur uulgo, siue emendatius et inscriptioni poetae, quam contra I. C. Scaligerum tuetur G. I. Vossius, conuenientius, Epistolae ad Pisones u. 295. Quo quidem loco non est dubium, quin ad illam respiciat animorum inflammationem, qua, tanquam quodam furoris afflatu, excitantur poetae. In quam sententiam in Ione iuit Plato, et asseuerauit, bonos poetas facere uersus, ἢ ἐκ τέχνης, ἀλλ' ἐνθέως ὄντας καὶ κατεχομένους. Eruditus etiam scholiastes Aristophanis γόνιμον ποιητὴν exponit, φυσικόν τινα, καὶ μὴ βεβιασμένον, ἢ γεννητικόν. Verum tamen cum alii naturae quidem tribuerent plurimum, artem tamen nollent exclusam, fecit testatum Venusinus uates, olim fuisse quaesitum: naturane, an arte, fieret carmen? Video certe, illa montium, quos insideant Musae, Heliconis et Parnassi, iuga laudari uulgo, iisque tantam uim tribui,

bui,

bui, ut, quisquis in iis dormierit, uel somnians, ut est apud Persium, euadat poeta. Hippocrenen etiam, Boeotiae, et Pirenen Isthmi Corinthiaci, fontes, quos Pegasi unguia percussos aiunt fluxisse, tantopere uideo celebrari, ut quisquis ex iis hauserit aquam, is poeticam combibisse facultatem dicatur. Quae quidem commenta sapiens est antiquitas, ut ostendat, poetas non contentione neruorum doctrinaque, sed mentis, diuino commotae spiritu, uiribus illustrari. Siue uero spiritus, siue afflatus, siue furor, siue *θεία μοῖρα*, seu *ἐνθουσιασμός* dicatur, illa certe uis ingenii naturaue notatur, qua incitati poetae atque accensi ad carmen faciendum feruntur. Idem a summis hominibus, ac si a quoquam, a Platone profecto, accepit Cicero, et scriptum pro Archia reliquit, ceterarum rerum studia et doctrina, et praeceptis, et arte, poetam natura ipsa, ualere. Quamobrem eos nunc *αὐτομαθεῖς*, nunc *αὐτοδιδάκτους*, nunc *θεοδιδάκτους*, uocant Graeci. Vltro etiam citroque iactatur, quod libro de Poet. cap. XVI dixit Aristoteles: *ἢ εὐφροῦς ἢ ποιητικὴ ἐστίν, ἢ μανικῶς*. Nec uero alia fuit causa, quamobrem contenderet Pindarus, quantum aquila coruum, tantum se Bacchyliden superare, cum hic artis ope multa subito effundat, ipse uero naturam sequatur ducem. Vtcunque est, et quicquid contendunt alii, negat tamen Horatius, operae pretium fieri, siquidem ars a natura seiungatur. Id quod ei persuasum tam constanter erat, ut artem poeticam uersibus explicare non dubitaret, Epistola ad Pisones scripta, quae mansit ad nostram memoriam, multaque reconditae critices uestigia seruat. Equidem non ignoro, Horatium Scaligero non ordinem modo uitasse, sed etiam, cum in-

DE CRYPSE

scripserit artem, nulla prorsus arte docuisse. At ne illud quidem me fugit, Horatium non artis, sed ad Pisones epistolae, nomen adhibuisse, et cum elegantissima sit epistola, eius fatum mirari Danielelem Heinsium, quae doctis ludibrio potius, in qua suam quisque sequeretur opinionem, quam usui, fuisse uideatur. Aristoteles etiam cum in afflatu diuino plurimum momenti collocaret ad uim poetae perficiendam, ob eamque causam *πείνησιν ἐν θεῷ* siue rem diuinam lib. III Rhetor. cap. VII uocaret: tamen, qua circumfluebat omnis doctrinae copia, duos etiam, quod uitae scriptor tradit Laertius, eiusdem libros argumenti componebat. Quorum, non parum dolemus, fragmenta tantum, quibus tragoediae pariter, et epopoeiae quaedam, contineatur expositio, superesse; intercidisse uero communi literarum calamitate perdita, quae comediam, dithyrambum, et alia poetarum genera tractasse, comperiamus. In his quae reliqua sunt, etsi tam ordinem, quam integritatem, rei poeticae doctor, Scaliger desiderauit: tamen G. I. Vossium, qua praefatus est in Institutiones poeticas, cogitatus arbitramur existimasse, neque Aristotelem, perinde ac crediderit uir magnus, ordinem neglexisse, neque omnem antiquitatem de poetice tam praeclarum habere quicquam, quam sint illa, quae reliquerit Philosophus, nec iuniorum quemquam plus inuenisse laudis, quam qui ab eo quam minime recedendum putarit. De quo quidem opere sensit uir doctissimus, Antonius Lullus Balearis Lib. VII. de orat. cap. V. si cubi miremur ingenium Philosophi, eum profecto hic plus, quam omnes poetas, et sapuisse, et quid deceat in poemate, uel minus, perspexisse. Eum certe laborem uir
tan-

tantus cum alio magis utili commutasset, nec temere, quo erat omnibus in rebus acerrimo iudicio, perdidisset operam, nisi certum habuisset, ingenium poetae artis adminiculo magnopere iuuari. Huius talis tantique doctoris exemplo facile se sui que rationem propositi tuentur, qui cum Hieronymo Vida, pereleganti alioqui poeta, Iulio Cesare Scaligero, et Vossio patre, recessus artis poeticae scrutantur, et, quid eam uel deceat, uel dedeceat, expediunt, praeclarisque monitis ingenium uel languescens et remissum excitant, uel acre et erectum moderantur, et conatus omnes decori finibus coercent. Nimirum, quod est apud Plutarchum, ad artes scientiasque comparandas naturam, disciplinam, atque exercitationem, requiri: id, nihil impedit, quo minus ad poetices studium pari iure referatur. Sane quidem eam natura largiatur indolem, quae fictionum foecunda, et inueniendi facultate praestans, imagines rerum facile concipiat animo et teneat, et altitudine cogitationum sublatius efferatur, et insito quodam calore atque ardore mentis inflammetur. At haerebit, et offendet magnopere, natura quamuis excellens, saepius etiam, aliis impedita cogitationibus, ne apparebit quidem, nisi accesserit disciplina quaedam, quae uel excitet alto sopitam somno, uel aliis districtam curis, expediat, et rationem legesque uersuum, uerborumque mensuram, usu receptam, atque auctoritate comprobata, doceat, in primisque, quid quodque carminum genus deceat, inculcet. Est enim compertum, multa fuisse ingenia, quae uel sibi negligentius et sine cultu relicta, obtorpuerint adeo, ut nullam animi propensionem, ne in aliud quidem doctrinae genus, nedum in studium poetices, declararint: uel aliarum rerum studiis implicita, co-

gita.

DE CRYPSE

gitationem poetices adeo non susceperint, ut nemo, uel leuissimis admonitus indiciis, suspicari potuerit, in iis ullos poeticæ laudis igniculos latitare. Quæ ubi solers et perita institutio uel, excusso languore, erexit, uel animo ab aliis auocato negotiis, huc traduxit: indoles, nescio quibus naturæ claustris antehac obstructa, continuo fulsit, et tanto magis auxit admirationem sui, quanto fortius opinionem superauit hominum, euaseruntque uates, quos alii postea facti sunt, ad poetice natos esse, non factos. Ac sicuti conditio carminis, omnisque uarietas, et modorum numerorumque dimensio, inuentione hominum et consuetudine constant: ita disciplina fuerit opus, quæ harum leges rerum nos doceat, ad earumque cognitionem præceptis accuratis informet. Etsi uero non defuerunt homines, qui et ingenio sunt usi tam acuto, ut elegantia carminum genera reperirent, et iudicio tam præstanti, ut, quæ cuique maxime decora forent, peruiderent ipsi, prudenterque sequerentur: tamen ad paucos ea peruenit felicitas, ac ne hos quidem artis disciplinaeque, quæ facilius noua peperit inuenta, quicquid dissimulauerit antiquitas, expertes; ceteri uero satis habent, si uirtutes poeticas illustrium exemplorum lectissimarumque præceptionum studio perspiciant et complectantur. Quo nisi accesserit exercitatio, quæ ad optimi cuiusque componatur imitationem, nec, quod legimus et obseruauimus, in orationis succum sanguinemque conuertemus, neque ingenium, quod expolitus et perficit, expeditum promptumque reddemus. Ita uero cum nec natura sine disciplina, nec disciplina pariter cum natura sine exercitatione, perfici posse uideantur: Diogeni tamen, quem dixi, Laertio assentiar, in oratore artem, in poeta naturam, plus ualere, credamque, cum in poetis ingenii impetum

petum

petum quavis arte curaque potentio- rem uiderint ueteres, cui debuerint plurimum, cuncta tribuisse, secutos morem Physicorum, qui res, e diuersis conflatas elementis, ab eo, quod in quaque principatum tenet, appellare consuerunt. His ita constitutis, si poetice nec naturae, neque artis, adiuuentis uacare potest: dubitandum non erit, quin utrumque subsidium tanto magis ad Crypsin requiratur, quanto maioris et grauitatis et dignitatis est locus, quem Crypsis in poetice tenet, et summa iudicii doctrinaeque laude tuetur. Certe cum in accurata fabulae constitutione praecipua uis occultandi consistat, ut infra dicemus: eam is demum pro eo, ac par erit, instruet, qui magnis naturae praesidiis fultus, cuncta et inueniet acutius, et solertius eliget ac discernet. Cuius gloria constitutionis cum tantopere praestet Homerus, ut eum exempli loco proponat Aristoteles, ambigit Philosophus, plusne ad eam laudem, qua ceteris antistat Poeta, ars, an natura, contulisse uideatur. *καὶ τῆτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἢτοι διὰ τέχνην, ἢ διὰ φύσιν*, ut loquitur de Poetica cap. X. Ac cum Crypsi, quod deinceps exponetur, non in fabula solum, sed etiam in episodis, multa magna- que doctrinae momenta recon- dantur, eademque tractentur ita, ut summae habeatur artis, nullam artis affectatae significationem dare, sed inuerso commutatoque ordine, quoad eius fieri possit, artem celare, neque eo secius nihil committere, quod inscitum sit atque ineptum: intelligamus licet, disciplinae pariter atque artis rationem fore habendam, siquidem munere, cuius partes dat Crypsis, digne perfungi uelimus. Eo igitur loco, quo Crypsin abstrudi diximus, uere, sicut multa, peracris criticus ingenii, Petronius Arbiter pronunciauit,

DE CRYPSI

*non concipere, aut edere, mentem partum posse, nisi ingenti
flumine literarum inundatam.* Atque haec quidem est
illa, quam commemorauimus, artis cura, quae disciplinam
doctrinamque comprehendit, et multum praesidii habet
in exercitatione, cuiusque necessitas ex iis, quae differen-
tur amplius, elucebit

Quod si ab aliis auersi curis, in nosmet ipsos interi-
us secedamus atque inquiramus, et eius, quod inest in no-
bis diuini, motus agitationesque penitus contemplemur,
modo quippiam cogitando inuenire, modo, quod cogita-
tione complexi sumus, in utramque partem ponderare, et
repudiare, uel amplecti, nos et uelle, et posse, cognosce-
mus. Alterum est ingenii, et prout uel celerius, uel tardi-
us, uel facilius, uel difficiliter, copiosius parcusque, pera-
gitur; ita uel acutum, alacre, capax, uber, uel hebes, lan-
guidum, iners, effoetum, prodit ingenium: alterum iu-
dicii, et si rerum naturae conuenienter, ordine et constan-
titer, fiat, acre, sincerum, firmum denique, iudicium de-
clarat. Quae quidem duae mentis humanae facultates
diuinitatis origine Deo nos coniungunt, uitamque homi-
num ratione constituunt et firmant, excolunt et ornant,
gubernant et moderantur. In primis altera, quae res ut-
cunque perceptas et inuentas, ad disquisitionem uocat, et
instituto earum delectu, quoad fert mortalis imbecillitas,
optimas ac praestantissimas quasque *seligit*, a falso uerum,
a malo bonum, constitutis diligenter finibus, separat et
disingit, decori et indecori rationem definit, confusa per-
turbataque distinguit et ordinat, impedita difficultati-
bus explicat, obscura rationis lumine collustrat, ambigua
et

et dubia confirmat. Verum sicut altissimum perfectionis gradum inter homines obtinent fere, in quibus ingenii uim cum iudicii praestantia faulrix exaequauit natura: ita diffiteri non possumus, illam rerum omnium parentem saepe liberalitati suae modum statuere, neque erga omnes peraeque beneficam, duo haec munera diuidere saepenumero, et dato nunc altero, alterum negare, nunc alterum altero cumulatiua auctiusque dare. Nam si uiro, quocum errare, quam cum aliis uerum dicere, malebat Cicero, fidem habeamus, plerumque quo quis iudicio magis, hoc minus ingenio, ualebit. Ac si Maximum Tyrium, Platonicae deditum sapientiae, audimus, solet usa uenire homini, ut, quo plus ingenio, hoc minus iudicio, possit, *Dissertatione XXIV.* In quarum coniunctione dotium quicquid difficultatis erit positum, ambas certe arduum, quod poetae demandatur, munus exposcit, et requirit, nisi nos animus fallit, Horatius, cum lib. I Satyr. IV u. 43. poetam, abiecta uulgi opinione, *ingenio* pariter et *mente diuiniore* potissimum metitur. Quo loco si quis in mente diuiniore quendam forsitan afflatum diuinum, quem ἐνθουσιασμόν uocant Graeci, ponendum ducat: hunc, equidem uelim responsum, ingenii, quod supra diximus, notione simul comprehendere, cum mentis diuiniore appellatio uel idcirco patefaciat iudicium, quod nihil magis, ac iudicii effecta, mentem, eiusque diuinitatem, comprobent, adeo ut is uulgo quoque sine iudicio loqui uideatur, qui sine mente deliberataque sententia loquatur. Quo referas, licet, id quod de Anaximene Theocritus Chius apud Stobaeum dixisse fertur: ἀρχεται λέξεως μὲν ποταμός, νοῦ δὲ θαλασμός.

μός.

DE CRYPSE POETICA

ρός. Vt paruae sit fraudi, Isidorum Pelusiotam lib. II. Ep. CCXXIX dixisse ποιητικὴν ὑφ' ἡδονῆς ἀκρίτου δρασυνομένην, quando grauitas argumenti, quod eximia, et proprio distincta nomine, poetice sustinet, satis arguit, nusquam fere maius, quam ad obeunda huius munia, iudicium requiri. Etsi uero Crypsis Poetica neutra harum facultatum carere potest, et opibus ambarum magnopere iuuatur: tamen, effectis utriusque inter se collatis, intelligemus, ut alias, ita non minus hic, primas iudicio dandas esse. Ingenium percipit actionem, iudicium perpendit: illud eam permittit arbitrio poetae, hoc uirium facultate aestimat: illud in eius contemplatione pulcritudinis acquiescit, hoc eam ad nouos singularesque componit usus: illi satis est, quam percepit actionem, modo conceptioni suae consentaneo promere, hoc finis, quem sibi proposuit, consequendi causa fabulae circuitum ei circumspicit: illud fabulam reperit, hoc eam putat, digerit, format: illud episodica, digressiones, descriptiones, comminiscitur, hoc singulas has partes cognoscit, accommodat, conuenienter intexit: illud ideam considerat uniuerse, hoc eam cum re singulari coniungit: illud acute cogitando multa suppeditat, hoc, ut in re proposita uerosimilia sint, efficit: illud ordinem rei cernit, hoc, permutatis et transpositis rei partibus, ordinis seriem prudenter inuertit: illud poemati materiam praebet, hoc eam in ordinem, proposito congruentem, redigit, expolit, limat, tempestiue suauiterque occultat, et penitus ad modum, fini feliciter obtinendo accommodatum, ornat, effingit, conformat. Quae facta rerum contentio, nil ambigam, quin iudicio principatum uindicer, eiusque uim praecipuam clarius explicet in occultandi negotio, et talem prorsus tantamque declaret, ut Crypsis, quae curae nobis est, ex ingenio et arte remotius, ex iudicio uero proxime, consequi uideatur.

DISSERTATIONVM CRYPTICARVM

SEV

DE OCCULTATIONE POETICA

SECUNDA

QUamquam facultatis illius, quam, Graeca loquendi consuetudine, Crypsin diximus, amplitudo ac dignitas hoc magis intelligitur, quo certius, eam ingenium et artem remotius, iudicium uero proxime, parere constat: tamen, cum ea demum laus habeatur praestans, quae praeclaris, in quibus operam ponimus, rebus suscipiatur; instituti, cognoscimus, interesse, ut quaeramus amplius, quid tandem sit, quod tanquam materia, quam tractet, et in qua uersetur, Crypsi subiiciatur. Equidem cogitatione praecipio, non defuturos, qui sicut omni omnino Poesi, ita illi etiam, magno huius instrumento, rem quamlibet, in qua studium collocet, proponi arbitrentur. Nam Cicero, neque id inficior, libro de Oratore l. cap. XVI. oratori poetam tum ornandi societate communique consilio coniunxit, tum in hoc aequauit prope, *nullis ut terminis circumscribat, aut desinat ius suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia uagari, qua uelit.* Quem quidem multi non e multis, quemadmodum tanti uiri postulare uidebatur auctoritas, consecuti uestigiis, contendunt: Aristotelem oratori nullum genus separatum, sed liberam rerum, quae uulgo persuaderi queant, tractationem tribuisse, nec poesin adeo materiam, ab aliis seiunctam rebus, sed quae more poetico persuadeatur, quam-

A 2

libet

DE CRYPSE

libet habere. Enimuero, si per alia atque alia, quae ab omnis memoriae uatibus ad posteros transmissa sunt, ingenii monumenta paulisper oculos circumferamus: erit, opinor, intellectu, sibi tam liberaliter indulgisse poetas, tantumque dedisse spatii, nullis ut frenis uinculisque sese passim sint coerceri, quin, effractis quasi repagulis, per omnia rerum genera excurrerent latius, et diuinarum humanarumque rerum cognitionem uersibus mandarent. Neminem sacra, quae hymni uocantur, carmina fugiant, et partim uero Deo a piis, partim commentitiis Numinibus ab antiquitate superstitiosa, consecrantur. Illa uel sacris consignantur literis, a Moyse, Dauide, et aliis, uiris diuino afflatu excitatis, condita, de quibus etiam differunt, Iosephus Antiqu. II. cap. ult. Hieronymus praefatione Chron. Euseb. Theodoritus, Isidorus Hispalensis, et secundum alios Fr. Gomarus libro, quem Lyr. Dauidis inscripsit. Vel extant apud ueteres Graecos Latinosque Christiani nominis doctores, Gregorium Nazianzenum, Aurelium Prudentium, Synesium Cyrenaeum, Hilarium Pictauiensem, Ambrosium, Paulinum, Bedam, Theodulphum, alios; uel ceterioribus et propioribus seculis, apud Mirandulanum, Sannazarium, Vidam, Pontanum, Buchananum, Scaligerum, et complures alios, inueniuntur. Haec Orpheus, Linus, Musaeus, Homerus, Hesiodus, Callimachus, alii, cecinerunt. Quod si a diuinis rebus descendamus ad naturales, tam multi rerum naturam uersibus explicarunt, ut eorum numerum difficile sit inire. Xenophanem commemoro, Parmenidem, Empedoclem, Lucretium Carum, qui de rerum natura scripserunt: Palaephatum, Atheniensem, et Antiochum Heliopolitanum, qui de mundi fabrica: Eratosthenem, qui in Herme mundum descripsit: Aratum Solensem,

lensem, Ciceronem, Germanicum, figillatimque Manili-
um, Auienum, qui siderum doctrinam numeris astrixe-
runt. Oppianum Cilicem, qui piscium quadrupedumque
naturas persecutus est, eiusque studiosum Philen, qui ani-
malium propria peruestigauit: P. Virgilium, qui de apibus,
ac potius omni fere agrestium natura, tractauit: Aemili-
um Macrum Veronensem, qui auium serpentumque ge-
nerationem, et opus Botanicum, reliquit: Gratium Fali-
scum, M. Aur. Olympium Nemesianum, poetam Carthagi-
niensem, qui rem uenaticam docent: Dionysium Periege-
ten, qui orbis situm, et ingenia locorum, gentiumque mores,
designauit: Musaeum, Damocratem Seruilium, Heliodo-
rum, e Latinis uero Serenum Sammonicum, Scribonium
Largum, qui *rationem medendi tradiderunt*: Nicandrum
denique Colophonium, quem, scriptis de hoc argumento
libris, aduersus uenenum remedia proposuisse scimus. Alios
ueterum quam plurimos praetereo, neque inter recentio-
res profero Hieronymum Vidam, qui de Bombycibus,
aut Marcellum Palingenium, qui de siderum motu, scri-
pserunt, neque alios, qui argumenta physica, uel mathe-
matica, uersibus explicarunt. Transeamus ad res huma-
nas, easque prudentia uel moderandi sui, uel regundae
reipublicae, uel administrandae rei familiaris, aestimemus.
Principio cum uitam moresque prudenter instruendi ra-
tionem diligentius in eo, inficiari non queo, Tragicos ue-
teres, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, illustribus ca-
suum humanorum documentis erudire regiam fortu-
nam, et imbuere grauitate sententiarum uitam publicam,
nec minori studio naturae gentiumque ius illustrare. Co-
mici uero cum Aristophane, Menandro, Philemone, et
Plauto Terentioque, ad priuatae consuetudinem uitae

DE CRYPSI

referunt quidem oculos, cum iuris tamen ciuilibus intelligentia ciuilem prudentiam copulant, omnemque adeo uitam praesentibus, et efficacibus, rerum exemplis ad decus, in usu quotidiano familiarique tuendum, si cum censura legantur, informant. Occultius tamen illi, explicatius autem, multoque apertius, cum Pindaro atque Horatio Melici docent. Qui siue uictores collaudent, uirtutem, tanquam indice digito, commonstrant: siue scribant animi causa, quae ad uitam bene beateque conferant agendam, non minus exquisite, quam iucunde, loquuntur. Nec uero de iis, quibus nomen indidit Satira, tam abiecte frigideque sentio, aut infectandi licentiam, et irridendi libertatem, tam moleste fero, quin fatear identidem, tantum abesse, ut hi, laesa bonorum fama, cachinnos aucupentur, et illiberalibus animos a curis relaxent iocis, ut uitia potius hominum, tanquam in theatro conspicienda, oculis omnium subiiciant, eorumque infectatione homines, a malefactis abductos et deterritos, ab studio uirtutis cohortentur. In his Q. Horatius Flaccus animo et orationi unus omnium maxime moderatur, qui ridendo uerum dicere solet. Contra Iunius Iuuenalis omnium grauisime commouetur et exardescit. A. Persius denique obscurius aliquantum, satis tamen acerbe, corruptelas temporum castigat. Sed primus horum cum ridendo turpissima coarguit uitia, pulcerrimas uirtutes aliud agendo docet. Alter quo liberius, id quod fieri solet, reprehendit, hoc magis ingenue, quid fieri debeat, ostendit, adeo ut praedicare solitus sit Eilhardus Lubinus ex una huius Satira, quam ex omnibus ad Nicomachum libris, plus se profecisse. Tertius uti dicendi rationem, ita doctrinam uulgarem, refugit, et recon-

recon-

recondito docendi genere magis philosophi, quam poetae, nomen ambire uideretur. Iam si rempublicam adaequamus, et, quam ei poetae nauarint operam, nonnihil requiramus: Solonem, tradit Plutarchus, quasdam legum suarum, quo facilius tenerentur memoria, uersibus comprehendisse. Idem fecit Terpander Antissaeus, quem, libro Strom. I. confirmat Clemens Alexandrinus, Spartanorum leges numeris deuinxisse. Nec uero confimilis instituti rationem ceteris Graeciae populis displicuisse, cum liquet aliunde, tum e Martiano Capella, qui lib. IX. auctor est, multas Graecorum urbes ad lyrae cantum leges, et decreta publica, recitasse. Altius rem repeto, quam conficere poteram, modo praeter ceteros in memoriam reuocassem Epicos, in primis Homerum et Virgilium: quorum alterum in Agamemnone, Achille, Vlyse, Nestore, Hectore, tot heroibus aliis; alterum in Aenea potissimum, uirtutis omnis, et togae bellicae artium, exemplar expressisse, horum monumenta, posteritati relicta, tam negligenter euoluit nemo, qui forsitan ignoret. Pari modo de re familiari laborarunt poetae, et agriculturae rationem libro, qui opera et dies inscribitur, Hesiodus, Georgicis Virgilius, hortorum uero cultum singulari, neque inscito, carmine Columella, docuerunt. Taceo, fuisse, qui alias res artesque uersibus exposuerint, quando neminem fallit, Horatium, sicuti diximus, artem poeticam, Terentianum Maurum, supra seculi captum scite, metricam, Auginellum Chemiam, Vidam ludum Schacchicum, alios equorum curationem, carmine descripsisse. Haud secus alios rerum gestarum memoriae consuluisse, Lucanus, qui bellum Pharsalicum, Silius Italicus, qui Hannibalicum composuit,

DE CRYPSI

fuit, Marius Victor, qui a conditu mundi historiam retulit, Iuuenicus et Sedulius, qui Seruatoris res gestas, et Arator, qui actus Apostolicos expresit uersu, totque ueterum recentiorumque, quos breuitatis causa reticeo, indi-
ciis argumentisque copiosis testantur. Plura, quae de-
clarent, quam longe lateque fines instituti sui protule-
rint poetae, prudens omitto, et cum ea, quae leuiter per-
strinxi, cogitatione percurro, quaedamque his adiungo,
non difficulter animaduerto, nullum prope nec philoso-
phiae, neque artium ceterarum, genus esse, in quo ex insti-
tuto non elaborarint. Qam quidem, constat, fuisse causam,
quamobrem uir magnis laudum ornamentis cumulatus, G.
I. Vossius, praeter commenta poetarum, quintuplicem poe-
tices materiam, rerum diuinarum, et naturalium, rerum
gestarum, moralium, et artificialium comprobaret, lib. I.
de artis poeticae natura cap. VI. Id si ita est, primum
colligere uidemur posse, cum in omni rerum uarietate
uersati sint poetae, nil esse, in quo poesis experiri uires in-
dustriae non possit; tum, quando poeticae patent omnia,
nil obesse, quo minus Crypsi quoque, quae illam sin-
gulari tantum exquisitaque ratione disponat atque ordi-
net, rem quamuis, seu, quod efferunt Graeci, τὸ ἕκαστον sub-
esse, credamus

At enim intelligendum est, id quod cap. I. de Poet.
tradit Aristoteles, omnem in uniuersum poesin esse imita-
tionem quandam. *πᾶσαι ποιήσεις τυγχάνουσιν ὄντας μιμήσεις.*
Haec autem imitatio nihil agit aliud, quam ut actiones ex-
primat atque adumbret, cum, qui imitantur, agentes imi-
tentur. Quo quidem loco non est obscurum, illam desi-
gnari imitationem, quam *ἠθικὴν* appellamus, et distingui-
mus ab altera, quae *φυσικὴ* uocatur. Etsi enim poetice
alte-

alterum imitandi genus non repudiat, quando pictorum more, sicuti diximus, res uarias sub aspectum subiicit, tam diligenter expressas, ut tanquam coram cerni, non memorari, uideantur: tamen prius amplectitur potissimum, in eoque praecipuam diligentiae partem ponit, quo per id singularem, sibi que praestitutum, finem facilius consequatur. Rursus Philosophus, idemque magnus rei poeticae doctor, cap. II. ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πρᾶττοντας, ἀνάγκη δὲ τούτους ἢ σπουδαίους, ἢ φαύλους, εἶναι, ἢ τοὶ βελτίονας, ἢ καὶ ἡμᾶς, ἢ χείρονας ἀνάγκη μιμῆσθαι. Ac cum mores et affectus actionum causae sint, eos cum actionibus cap. I. coniungit. μιμοῦνται δὲ καὶ ἡθῆ, καὶ πάθη, καὶ πράξεις. Hae uero actiones sunt hominum, et hominibus proprie tribuuntur. Fidem faciat Philosophus, qui lib. I. ἠθικῶν μεγαλ. cap. XII. docet. οὔτε γὰρ ἀψυχὸν οὐθὲν λέγομεν πρᾶττειν, οὔτε τῶν ἐμψύχων ἔξω ἀνθρώπων. Δῆλον οὖν, ὅτι ὁ ἀνθρώπος τῶν πράξεων ἐστὶ γεννητικός. Neque eo secius, quod de Tragedia praedicare Philosophum meminimus, eam non hominum, sed actionum, esse imitationem: id uero quin de omni ualeat Poesi, hoc minus ambigamus, quo magis constat, in fabula praecipuam poesis momentum esse situm, eam uero non ex hominum, sed ex actionum imitatione, existere solere. Atque hoc illud est, quod praecipit vir summus, actiones non simplici ratione considerandas esse, sed quales uel factae sint, uel fieri possint. Ipsum cap. IX. audiamus. οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν τούτου ποιητοῦ ἔργον ἐστίν, ἀλλ' ὅσα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ, κατὰ τὸ εἶκός, ἢ τὸ ἀναγκαῖον. Hae uero actiones non sunt quaelibet, uerum illae solum, quae a uoluntate profectae, bonae malaeue queunt appellari. Et enim sicut prudentia ciuilis, quam πολιτικὴν dicunt, εὐδαιμονίαν siue beatitudinem ciuilem sibi propositam habet; ea

B

uero

DE CRYPSE

uero actione, secundum uirtutem instructa, obtineri debet: ita poetice, quam politices esse propaginem *Tom. I. discussionum Peripat. lib. IIX.* contendit Franc. Patricius, cum ad eundem collineet finem, quem uulgus non capit, agendi genus, cum uirtute atque honestate coniunctum, requirit. Ac sicuti ciuilis prudentia, et ciuilis philosophia omnis, hominem ad uirtutem, sine qua reipublicae salus stare non potest, non bonarum modo honestarumque, uerum etiam malarum et turpium exemplis actionum instituit, idque ea mente, ut illas sequamur, has fugiamus: ita poetice, quae hanc hominum felicitatem non minus intuetur, praeclaras quidem laudandasque actiones in primis arripit et commendat, alias tamen minus bonas, et reprehensione dignas, non respuit prorsus, quo earum deformitate territi a uitiis animi, ad uirtutis pulcritudinem decusque uehementius inflammentur. Itaque quod de historia dixit grauissimus scriptor, T. Lilius, *boc illud esse praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta, in illustri posita monimento, intueri, ut inde tibi, tuaeque reipublicae, quod imitere, capias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod uites*: id quidem hoc potiori iure de poesi pronunciemus, quo perfectiora haec cuncta in ea inuenimus, quam scimus, res dicere, non quales sint, sed quales esse debeant, ob eamque causam historiae, tanquam φιλοσοφώτερον ἢ σπουδαιότερον, a Philosopho praeferri. Etsi uero morales actiones poetice persequitur, easdemque ad finem, quem diximus, fingit et componit: tamen in iis sine lege non diuagatur, easque terminis quibusdam et finibus circumscribit. Namque uti multis rebus aliis, ita hac quoque differt ab historico poeta. Historicus cum accedit ad scribendum, res, quemadmodum sese dant, aut
a plu-

a pluribus, aut ab uno uarie gestas, non interrupta ordinis serie, narrat. Satis enim habet, si facta diligenter exponat, et ordine rerum seruato, posteriorum memoriae consulat, et causis, consiliis, eorumque euentis, interpositis opportune, locum iudicandi, firmandique facultatem iudicii, lectori relinquat. At poeta, qui philosophum magis, quam narratorem, uult agere, non in mera et simplici conuiescit actionum commemoratione, uerum si quas harum, ea certe libertate seligit, ut arbitrato suo referat, quemadmodum fini, quem cogitat, assequendo maxime conducere uideatur. Hac mente quo suauius et delectet, et quod instituit, doceat, unam quandam, eamque absolutam et integram, quadamque conuenienti praeditam magnitudine, sumit actionem, et tanquam principem ab aliis, quae contigerunt, nec pertinent ad illam, dirimit ac seiungit. Quae uero palmariae huic actioni cognata uideantur, ἐπεισοδίων ambitu comprehendit. Idem prorsus in laude ponit Homero Aristoteles, quem cum docet, non totum belli, quod est ad Troiam gestum, cursum, sed unam tantum eius partem actionemque tractasse: poetarum principis exemplo, quid fieri a poeta uelit, declarat, et ostendit, quod paulo post ipsius auctoritate iudicioque Virgilii defendetur. Nec uero munere suo perfungetur poeta, nisi fingat actionem et formet, quomodo uerisimile est, aut necessarium, non ut eam constat euenisse. Secus est historico faciendum, cui legem dicit ueritatis religio, ne quid comminiscatur, sed ut solum, quod est gestum, tradat, omniaque ad conscientiam pariter et factorum fidem, nihil ad ingenii referat ostentationem. Poeta contra liberius obsequitur ingenio, nec rerum singularium ueritatem magnopere custodit, et quas uidet actioni deesse singulari, re-

DE CRYPSI

petit ex imagine characteris generalis et affingit, permutat ordinem, partes uarie traicit, ex usuque suo collocat, et nouam perfectioremque rebus formam reddit. Hoc enim est, id quod tantopere inculcat Aristoteles, λέγειν κατὰ τὸ εἶκος, ἢ τὸ ἀναγκαῖον, et Madius explicat, res exprimere, sic ut habeatur illarum naturae ratio, hoc est, quod equidem intellexerim, non quales sint, sed quales esse uel uerisimile, uel necessarium, uideatur. Idem est, quod tantae difficultatis et artis, tantique iudicii, credidit Aristoteles, et cap. VI. Poet. τὰ πρᾶγματα συνίστασθαι uocat. Huc denique conicit oculos, huc aduertit animum, hic mirificae laudis et inusitatae praesidium quaerit Iul. Caes. Scaliger, cum lib. I. Poet. cap. I. poetam rem, uelut alterum Deum, condere uideri, magnifice contendit. Ex quo consequitur, laxius loqui Fabium, cum historiam *poetis proximam, et quodammodo carmen solutum*, lib. X. Instit. Orator. cap. I. appellet. Ceteroqui dubium non est, quin historia proprie dicta, et poesis eminenti notione sumpta, tantum differant, quantum accuratum ueritatis studium, et fingendi libertas necessitasque distinguuntur. Sed ut fabula pro eo, ac par est, constituatur, imitationis et fictionis interesse plurimum, nemo ignorat. Quae licet non magnopere discrepent, quoquo tamen modo distant. Nam scite docet Ger. Io. Vossius id imitationem respicere, secundum quod aliquid faciamus, fictionem uero, id quod fiat, Instit. Poetic. lib. II. n. I. Quo pacto Apelles et Lysippus imitatur hominem uerum, cum alter Alexandrum pingit, fingit alter. Vterque uero non hominem facit uerum, sed eius simulacrum. Pari modo actiones hominum imitatur quidem poeta, sed non facit ueras, uerum confingit fabulas, quibus actiones hominum signet, adeo ut uera quidem esse

esse

esse queat actio, quam imitetur, sed uerae similis, quam confingat. Ita uero parit imitatio fictionem, fictio fabulam, fabula uero fabulosa unius, quam diximus, actionis, eiusdemque integrae, narratione constat. Quamobrem Aristoteles μῦθον hunc angustius et magis propria sumptum notione, πράξεων μίμησιν, et alias σύστασιν πραγμάτων, uocat. In qua quidem imitatione pariter et fictione adeo summa reponerent omnia ueteres, iidemque prudentes omnis decori iudices, ut poetam nulla re magis aestimarent, et sine illis poetam ne agnosci quidem uellent. Plato quid fenserit, ex initio dialogi, qui Phaedon inscribitur, constat. Ποιητὴν δὲ, εἴπερ μέλλοι ποιητῆς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους. Expectat igitur a poeta fabulas, non orationem solum, si quidem poetae nomen personamque tueri uelit. Nec secus persuasum fuit Aristoteli, eius quidem discipulo, sed auctoritate magistri parum moueri solito, nisi ueritate coactus, non posset non assentiri. Is uero ex instituto poetam informabat, et qui alioqui uel aliud agendo de rebus propositis acutissime iudicare solebat, hoc uerius de re poetica uidebatur existimaturus, quo diligentius omnia eius momenta perpendere tam constituerat, quam, nequa susceptis deesset partibus, debebat. At circumspicere rebus omnibus, rationibusque subductis, cum in omnem partem uersasset animum, hanc cogitationum summam fecit: δῆλον οὖν ἐκ τούτων, ὅτι ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν, ἢ τῶν μέτρων, de Poet. cap. IX. itemque cap. eiusdem libri primo. καὶ εἴτις ἅπαντα τὰ μέτρα μιγνύων οὐ ποιεῖτο τὴν μίμησιν, οὐκ ἤδη καὶ ποιητὴν προσαγορευτέον. Mox lenim μίμησιν principium atque animam, siue ut loquitur ipse, ἀρχὴν καὶ ὄσον ψυχὴν poetas uocat. Nec uero ferendum putat uulgi morem, quo dicantur poetae, qui uersus tantum facerent, fingere nihil

DE CRYPPI

nihil scirent. *οὐχ ὡς κατὰ μίμησιν ποιητὰς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντας.* Id quod ad perionam poetae satis esse, adeo negat, ut contendat, Empedoclem, qui rerum naturam uerbis exposuerit, physicum magis esse, quam poetam, et licet numeris illigetur Herodoti historia, perinde tamen, ac sine illis, historiam futuram. Eundem certe Empedoclem poetae nomine dignum ne ipse quidem habet Plutarchus, nec Parmenidem in Physicis, neque Nicandrum in Theriacis, nec Theognida in sententiis, quos ait granditatem mensuramque pro uehiculo mutatos esse a poetica, quo pedestris incessus effugerent humilitatem. Ei uero, cui constabat imitatione poesis, ab eamque rem *τέχνη μιμητικὴ* audiebat, non poterat non fingere poeta. *Θυσίας μὲν γὰρ ἀχόρους καὶ ἀνάυλους ἴσμεν, οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον, οὐδὲ ἀψευδῆ ποίησιν,* ut pronunciat in lib. de audiendis poetis. Eandem sententiam, eruditae antiquitati tantopere probatam, sequebatur Iulianus Imperator, quem in omni doctrinae genere summe uersatum, et poetarum studio maximopere delectari solitum, adeo non fugiebat, quid de poesi iudicaret, ut sine tergiuersatione proloqueretur, sine fabulis poesin *σερεῖσθαι ἑαυτῆς, καὶ οὐ λείπεσθαι ποίησιν.* Orat. VII, quam ad Heraclium Cynicum composuit scriptor Augustus. Contendit, inquam, uir melioris ingenii, quam mentis, quae uacet a fabulis poesis, se ipsa priuari, nec sine iis relinqui poesin, siquidem in fingendi negotio poesis proprio quodam iure collocatur. Quod si qui cum Iul. Caes. Scaligero, et Ger. I. Vosio, inficias eant, id quod antiquissimorum nonnullos sensisse comperimus, poesin ab instituto fingendi nomen duxisse: hi saltem non inficiabuntur, poesin antiquis, qui quidem eminentis poetae munus perspexerint,

DOB

non solum orationem numeris astrictam, sed fabulas etiam complexam, quam *λόγον μύθους περιέχοντα* Graeci dictitant, appellatam fuisse

His ita praemunitis ac praefultis, conficiamus, licet, illos, qui res gestas narrent, et historici poetae uulgo dicantur, eximia notione, et ex Aristotelia sententia, tales non esse. Nam aut non fingunt, aut non unam, eandemque principem, ad quam cuncta referant, actionem seligunt, aut utroque carent, nec fere, nisi numeris, quibus orationem deuinxerunt, ab historicis distinguuntur. Pari modo colligimus, quos aut diximus, aut dicere possemus, artium alias atque alias uersibus esse complexos, poetarum, uero et proprio eruditorum usu dictorum, nomen minus tueri. Neque enim actiones, eademque hominum, et morales, sibi propositas habent, neque imitantur, et secundum uel probabile, uel necessarium fingunt, sed res tantum uersibus exponunt. Quos quidem si demas, nihil nec poeticae inuentionis, nec dispositionis, nec poetici denique spiritus, unde queas agnoscere quoquo modo poetam, relinquetur. Quod si poeta, quem quaerimus, non solum docere narrando res quasdam, et doctrinas utiles tradendo, sed in primis actionem unam, et integram, ita tractare, debet, ut actio princeps in unam uertatur fabulam, secundariae uero per episodica proponantur, et quicquid est, ad statum quendum, et praecipuum, moralemque finem, per imitationem et fictionem componatur: efficitur porro, nec Melicos, neque Elegiacos, neque Eclogarum scriptores, nec Satiricos, poetarum eximie dictorum personam sustinere. Etsi enim horum talium quidam illius sapientiae, quae uitam hominum moribus et salutaribus praeceptis excolit, insignes et exquisitas expromunt doctrinas: tamen,

DE CRYPSI

tamen, operis angustia exclusi, aut docent tantum, nec perinde fingunt, aut si fingunt pariter, certe non ex una quadam, eademque principe, actione ita fabulam formant, ut reliqua per episodica interferantur, et per haec cuncta moralis quidam finis tectius obtineatur. Quamobrem illi, qui seposita hominum auctoritate, de re cogitarunt altius, iam dudum existimarunt, eos, quos commemorauimus, pariter cum Epigrammatum Siluarumque scriptoribus, minus perfectum poetices genus sequi, ut Renatus Rapinus, acris limatique uir iudicii, per erudita dissertatione de carmine pastorali docet. Idem, multoque magis, cum desideremus in iis, qui leges et instituta reipublicae nudis et simplicibus mandarunt uersibus: indidem potest intelligi, ne hos quidem poetarum, quos eximio cohonestamus nomine, dignitatem tueri. Quamquam enim actiones hominum ad uirtutem, rationemque ciuilem societatis conseruandae, legibus et scitis, ac praeceptis honestis, instruunt et formant: tamen non adhibent imitationem, nedum exemplar aliquod generale respiciunt, secundum quod actionem, iam peractam, eamque minus perfectam, reddant perfectiorem. Immo uero cum idem poetarum instrumentum, in quo poesis animam posuisse ueteres, modo diximus, ab iis etiam absit, qui in argumento rei domesticae uires industriae contendunt: eadem de causa scriptores, numeris uinctos, uerum germanumque poetarum nomen, quod eximie capimus, defendere posse, merito negamus. Ac si poesis non in contemplatione rerum, sed in actionibus hominum, ad ciuilem felicitatem dirigendis, uersatur: uel uno hoc commonemur indicio, scribendi argumentum, poetae eximii personae minus aptum, sibi delegisse, qui
rerum

rerum naturalium doctrinam uerbis ex instituto explicarint. Quod si poeta, in quo mentem figimus, non tam res conditas sumit, quam res ipse condit, nec tam ueras, quam uerosimiles, efficere studet: iisdem dignitate nominis, quod cum tanta coniunximus amplitudine, non difficulter excident, qui nihil ipsi effingunt ingeniose, rerumque, quas didicerunt, contenti doctrina, nullo penitus alio, quam externo numerorum artificio, a philosophis distinguuntur. Adhaec si poesis actiones hominum persequitur, easque fictione atque imitatione perficere contendit, quo per eas ad summae uirtutis normam, quoad rei subiectae ratio fierit, expositas, homines ad praeclaras actiones cum uoluptate informantur: nil uetat, quo minus cogamus exinde, ne illos quidem, qui theologi uocantur poetae, poetarum, eximie dictorum, leges seruare. Etsi enim horum quidam, Hesiodi exemplo, plurima fingunt: tamen, quae fingunt, commentis et inuolucris fabularum non hominum actiones excolunt, sed inter alia rerum naturam, cuius mysteria hic quaerunt docti, tectius occultiusque describunt. Quo fit, ut opinione imperiti tantum uulgi, non sapientum iudicio, carmina huius generis sacra putentur, cum uulgo poetae theologi sint dicti, quoniam de Diis carmina faciebant, ut ex Isidoro Hispalensi Lib. VIII. Orig. cap. VII. constat. De hominibus, cultus incorrupti expertibus, loquimur, quorum hymnos permultos, nec nullo confectos ingenio, magni quidem superstitiosa faciebat antiquitas, cum eaque tanti Iulianus Imperator, ut eos edisci uellet. *ἐκμανθάνειν χρὴ τοὺς ὕμνους τῶν θεῶν. εἰσὶ δὲ οὗτοι πολλοὶ μὲν, καὶ καλοὶ, πεποιημένοι παλαιοῖς καὶ νέοις.* Fragmento Epistolae seu Orat. pag. 301. Nihilominus cum in iis, praeter cetera,

C

uel

DE CRYPSE

uel imitationem, quam poscimus, actionum desideremus, uel multiplicatas inueniamus actiones, uel, si a numeris, quibus uincitur oratio, discefferimus, nihil fere, quod a uulgari discrepet oratione conspiciamus: eos, iudicari potest, ad poetarum, quos per excellentiam appellamus, numerum adscribi non posse. Idem de iis pronuntiandum est, qui ueri Numinis laudes his talibus celebrant carminibus, et tanto magis, quanto maiori ducunt religioni, res per se arduas, et religione consecratas, fictionum, quibus in primis aestimamus hoc loco poetam, integumentis inuoluere, scita et decora rei expositione contenti, ultra quam multa potioraque sunt, quae ad poetam eximie dictum requirantur. At hi tales cum argumenti, ad quod aggressi sunt, sanctitati quicquam affingere uix ausint: fit, ut sacrarum quidem rerum auctoritatem maiestatemque ab omnibus commentorum incommodis integram conseruent; sed nacti materiam, cui perfectionem addere non possint, illo poetae munere excidant, quo res non quales sunt, uerum quales esse debent, tractantur. Ita uero si poesis consistit in imitatione actionum humanarum et moralium, qua ad unam, integram, et iusta praeditam magnitudine, reducuntur, et secundum uerosimile, uel necessarium, conformantur: non fuerit dubitandum, quin Epici propria notatione distincti, in iisque praecipue Homerus et Virgilius, et quos ex HomERICA poesi extitisse comperimus, Tragici, ac, quicquid, abnuente tamen Horatio, ueterum quidam obtenderint, quoquo modo etiam Comici, fere soli poetarum nomen re factisque tueantur. In primis, inquam, Homerus ac Virgilius: quos excellentia, et fulgore carminum, meritos esse constat, ut, quod communiter dicebatur, in proprium eorum nomen cederet, et communi poetarum

rum

rum nomine sine adiectione adhibito, soli apud Graecos Latinosque intelligerentur. De Homero tradit Aristoteles libri, qui de Poetica reliquus est, cap. IV. Proclus in eclogis Photii, Isacius enarrator Lycophronis in Alexandram, Cicero Topicorum, quae ad Trebatium extant, cap. XIII. Velleius lib. I. cap. IV, Seneca Ep. LVIII. De utroque carminis principe fidem faciunt plures loci, qui apud alios passim occurrunt, in primisque Theophilus scholiastes ad lib. I. instit. tit. qui inscribitur de iure natur. gent. et civili. *ἡνίκα ποιητὴν εἰπόντες, καὶ μὴ προσθέντες τὸ κύριον ὄνομα, παρ' ἑλλήσι μὲν δηλοῦμεν τὸν Ὅμηρον, παρὰ δὲ ῥωμαίοις τὸν Βιργίλιον.* Atque hos quidem poetas, proprio eminentique elogio appellatos, in actionibus, imitatione expressis, uersari cum nesciat nemo, neque ignoret quisquam, poetices non ignarissimus, easdem fini, quem spectat poesis, assequendo accommodatissimas esse: causae fuerit abunde, quamobrem poesis, excellentius intellectam, non in re quavis, sed in actionibus, singulari ratione formandis, existimemus occupari.

Ita si sentiamus, dixerit quispiam: cum tantam poetarum multitudinem redigamus ad tam paucos, iniquius actum iri cum plurimis, quibus tot eruditorum iudicia, tanta tot seculorum consensione corroborata, poetarum nomen dignitatemque tribuerint, nos autem, quicquid huius sit decoris, eripere conemur. Aliis uero reprehensione digni uideamur, qui ius, quod largimur oratori, de re qualibet dicendi scribendique, poetae non perinde relinquamus, eumque tam arctis circumscribamus finibus, ut, qua nihil ad dignitatem poetices praestantius est, rerum diuinarum materiam ei adimamus. Occurrat tandem, ne plura dicamus, alius, et auctoritatem Stoicorum nobis obiciat, quos, auctor est, Lib. VII. Zenone, Diogenes Laertius,

poesin finiisse, σημαντικὸν ποίημα, μίμησιν περιέχον θεῶν ἢ ἀν-
 θρωπείων. At enim meminisse debemus, ipsam poetices
 originem suadere, ut credamus, in tanta eruditorum di-
 sceptatione illorum uero propiorem esse sententiam, qui
 contendant, in primo ingeniorum conatu poetas non
 tam fingendo, quam faciendo, uersu nomen inuenisse. Sic-
 uti enim fictio, speciatim sumta, poetices quamlibet ex-
 cultae artificium absoluit: ita aegre tibi persuaseris, rudi-
 bus adhuc seculis, illam pariter cum uersu repertam fuis-
 se. Sane uti nihil simul inuentum et perfectum est, et
 artes cunctae, ab exiguis et tenuibus profectae initiis, sen-
 sim paulatimque ascendunt in summum: sic nihil impe-
 dit, quo minus poetice prius uersum, quam fictionem,
 extulisse, putemus. Quodsi poeticae nomen fictio, non
 uersus, peperisse uideatur: quaesierim, quid tandem sit,
 quod antiquissimorum tam pauci illam adhibuerint,
 cum de plurimis nudi simplicesque uersus, neque ul-
 lum fictionis uestigium referatur. Cuncta, quae hic
 submoneri poterant, Plato et uidit, et expendit, et do-
 cuit, id quod huius est instituti, in libro, qui sympo-
 sium inscribitur: omnes cuiusuis artis actiones esse
 factiones, et artifices omnes poetas, id est, factores,
 non tamen uocari poetas, sed aliud nomen sortiri. Ex
 omni uero factione una selecta particula, quae circa
 musicen, carminaque uersatur, totius nomine appellari.
 Haec uir diuinus. Ex quo perspicuum est, omnes
 quidem poetas esse, qui artem faciant, solos autem ita uo-
 cari, qui uersus. Sed artes, ut diximus, aetatis progressu
 augentur, et usu cultae ac perfectae magis, nonnunquam
 quid acquirunt, quod utile primum, necessarium postre-
 mo, putatur. Quo pacto cum, Homeri cum primis in-
 ge-

nio arte in fastigium elata, perspicerent eruditissimi homines, poetarum principem ad uersuum numeros imitationem adiunxisse, nec uersum modo, sed rem ipsam, facere multo excellentioris ingenii arbitrarentur: nomen, cetera commune, propter excellentiam uindicarunt iis, qui ad numeros fictionem adiecerunt. Ita uero poesis, quae antehac erat λόγος ἑμμετρος, euasit λόγος ἑμμετρος μύθους περιέχων. Ita ea, quae laxius et uulgo accepta, uersus faciendi arte continebatur, angustius ac prescius, simulque eximie, ac si natiuae originis replicemus memoriam, ἀκέρως, si eruditorum sequamur iudicia, κυρίως sumpta, non nisi carmen cum imitatione coniunctum agnouit. Ita constitit demum, eorum numero habendam esse poeticen, quae uocantur ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἓν, siue πρὸς μίαν φύσιν, et gradibus distinguuntur. Igitur, rei dignitate in maius meliusque prouecta, iure ualde tenui, et δευτέρως solum, poetae nomen mereri uisus est, qui orationem numeris tantum uincire sciret; ille uero πρώτως, ac proprio quodam singularique iure, idem sibi sumsit, qui non modo numeris astringeret orationem, et poetico spiritu carmen excitaret, uerum etiam uera scite fictis imitaretur. In quam sententiam Plutarchus, et alii ueterum, docuerunt, imprimisque Aristoteles, e quo, ne alia commemoremus, supra recitauimus, si quis omnia miscens metra, imitationem non adhibeat, eum poetam non esse habendum. E quo poetarum discrimine, lege hac constituto, consequabatur, poetam prioris generis, qua solum carmen condit, de re qualibet agere posse, quorsum Tullium potissimum respexisse putem; posterioris uero generis poetam, et eximia insignitum appellatione, actionum effictionem cum imitatione per commenta, siue quae dicunt Graeci μιμήματα,

DE CRYPSE

tractare. His ita constitutis, damus quidem, ea notione, qua laxius quemuis artificem carminis appellamus poetam, plurimos esse poetarum, neque ullum eorum, quos supra exposuimus, omnium nominis huius usu fraudari posse: sed electo accuratoque nominis eius usu, quo simul illa comprehenditur imitatio, exiguum poetarum numerum, et eorum, quos recensuimus, paucissimos inueniri, cum uiris, doctrinae huius peritis, et ratione fultis, merito pronunciamus. Quo fit, ut nemini simus fraudi, siquidem plurimis generale poetarum nomen, ipso etiam poesios genere distinctum, quod a tot retro seculis tributum est, relinquamus: perpaucis autem honoris eius, quem magnis, et supra captum uulgi eminentibus, ingenii in eminentis forma operis constituerunt eruditi, fructum imperiamur. Atqui horum postremi sunt demum illi, quos hoc loco cum intelligentibus et prudentibus doctrinae huius existimatoribus requirebamus. Eodem, quod supra iecimus, fundamento subnixi, colligimus, si poeta uulgari, et latius patente, consideretur notione, nihil omnium omnino rerum fore, quod uersibus mandare non queat: sin, artato nominis usu, eximie capiatur, in iis tantum argumentis elaborare debere, quae in actionibus imitationi fictionique faciant locum. At cum rerum diuinarum ita saepe comparata sit ratio, ut fictio earum et sanctitati, quae omnem respuit fucum, repugnare, et auctoritatem commentis eleuare, et splendorem, qui falsum non expectat, sed suo et diuino collustratur lumine, obscurare magis, quam illustrare, uideatur: ne harum quidem omnes illius, quam persequimur, poesios argumento satis accommodatas esse, comperimus. Illas res diuinas intelligi uolumus, quae mysteriorum recessus complectuntur, et diui-

diuinitatis causam in ipsa praestantia sui et altitudine recondunt, nec ratione comprehenduntur, sed fide attinguntur, quarum perfectionem fastigiumque nec cogitando consequi, neque dicendo exaequare, queas. Adeo ut, quicquid rebus tantis, tamque arduis, addideris, id, si quo humani commento ingenii nitatur, eas non augere, sed minuere, uideatur. Cuius generis argumenta habent, qui hymnos scribunt: quos, aut ego magnopere fallor, aut prudentes sincerique iudicii homines sentiunt, nihil magis, quam moratae orationis, uirilisque sententiae, grauitatem decere. Ceteroqui non est ambigendum, quin illarum rerum, quas hominum manibus administratas, sacrarum memoriae literarum tradi uoluit Deus, ratio non minus eximiae poesi materiam sat commodam praebere possit. Horum operum quaedam et posteris reliquit antiquitas, et recentioris aetatis industria peperit: quorum tamen alia, ut fit, aliis meliora sunt, pauca certe illas scribendi leges seruant, quas in argumento ciuili praestantissimi natum secuti sunt, et quibus poetae praestantiam honoremque peritissimi iudices definierunt. Consimilem laborem iuuenis suscepit purpuratus pater, Perronius, Mosaida scribere ingressus, quae iter Israelitarum, et profectionem ex Aegypto, continebat. Opus autem bene instruxit ac digesit, quando ex lege poematis epici res gestas unius tantum anni selegit, ordinemque occultauit atque inuertit. Intellexit etiam, affore sibi, quae copiosius diceret, tanquam de magis Pharaonis, de transitu maris rubri, et reliquis compluribus, idque salua et integra sacri codicis maiestate, quae nullam mendaciorum labe contaminaretur. Sed coepto destitit, ueritus, ne opus aggrederetur, cuius expolitio integrae spatium uitae uideretur exigere, Virgiliū exemplo, qui

Aenei-

DE CRYPSE

Aeneidos limandae studio uitam transegit, necdum ea, quantum uellet, perculsa, decessit. Quae quidem conata, dolendum est, perfecta non fuisse, ab illo praesertim uiro, qui aliis exemplum scribendi prodere poterat, magno praeditus ingenio, et literarum consecutus fastigium, natusque omnis sapientiae, et rei poeticae intelligentia, qua gratiam apud Henricum, huius nominis tertium Galliarum Regum, inuit, inter principes aetatis suae relatus, documento denique futurus, ad quantam dignitatem sine natalium splendore opumue praesidio ingenium peruenire queat, ut tradit Gramondus Historiar. Galliae lib. III. Tanto minus nobis obest Stoicae iudicium familiae, quae cum poesin uocauit opus significandi uipraeditum, quo rerum diuinarum humanarumque imitatio continetur: poesin ea cepit amplitudine, qua supra dedimus, poetam de re quauis tractare posse. Sicuti enim e Cicerone lib. II. de Off. cognitum est, eos philosophiam diuinarum humanarumque rerum scientiam didicisse: ita liquet hoc loco, eosdem poetis, laxius acceptis, tractandae omnis philosophiae potestatem fecisse. Nam poesin ea sumebant notione, qua, ultimis Graeciae temporibus, uti testatum faciunt Maximus Tyrius Differt. XXIX, et Fabius Instit. Orat. lib. I. cap. X. poetae et philosophi iidem erant, et una docendi ratione differebant. At quicquid huius generis largiti sunt illi, idem pari liberalitate supra largiti sumus, nec poetam quemlibet, sed eruditorum iudicio definitum, et comprobatum quaerimus, eiusque proposito hominum demum actiones, et quae ingenio poetae magis perfici possint, conuenire iudicamus. Ex quo perspicuum est, rerum diuinarum decus gloriamque non omni omnino poesi adimi, et per
dede-

dedecus ignominiamque auferri, sed poesi excellentius dictae in laude ponendum esse, quod rerum, quae humani modum ingenii excedant, argumenta simplici, fabularumque experti, relinquat poesi, ipsa uero quid exquirat, in quo expoliendo, et quoad eius fieri possit, cunctis absoluendo numeris, citra improbae et noxiae falsitatis iniuriam elaborare possit

Quodsi, uti speramus, effectum dedimus, poesi laxius sumtae rem quamlibet, sed eximie appellatae, actiones propositas esse: eadem constabit opera, Crypsin Poeticam non alibi quam in actionibus, occupari. Nam quod poesis haec, per excellentiam nominata, deligit et pertractare constituit, id ordinat demum et ingeniose disponit Crypsis, et inducta singularis artificii forma, distinguit a uulgaribus ingeniorum inuentis, et perite ad finem, poetae praestitutum, componit. Sicuti autem poesis, de qua loquimur, uon unius eiusdemque generis actiones persequitur et tractat: ita Crypsis etiam actionum unam principem, alias secundarias, habet, quas instruat apte et contexat. Ac princeps quidem actio est, cuius explicandae causa negotium scribendi suscipit poeta, ad eamque omnes consilii rationes refert, adeo ut, quae deinceps, extra huius posita fines, ei intexantur, eius uel illustrandae, uel commendandae gratia proferantur. Haec autem actio una, perfecta et integra, et magnitudinem habens aliquam, esse debet. Philosophus *πραξιν μίαν, τελείαν κ' ὅλην, καὶ μέγεθος τι ἔχουσαν*, uocat, Poet. cap. VIII. Alio item loco *μίαν πραξιν, ὅλην κ' τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν, κ' μέσον, κ' τέλος*, cap. XXIII. Alibi *τὸ ἴδιον* uocat, et ab Episodiis distinguit, cap. XVI. extremo. Sed unam dicimus actionem, cuius partes apto quodam, et naturali, uinculo inter se nexae, unam efficiunt,

D

atque

DE CRYPSI

atque ad unum certe directae ac relatae finem, ita mutuo coniunguntur, ut unam ex altera consequi uel necesse sit, uel probabile, ac uel una detracta, et traiecta, omnis actionis compages dissoluatur. cap. X. Perfecta uero et integra est, quae habet initium, medium, et finem, quemadmodum Aristoteles ipse, cap. II. X. exponit. Ac primum quidem cum habet, habet id, quod necessario non sequitur aliud, et post quod aliud esse, aut fieri debet: cum alterum, quod post aliud, et post quod aliud est: cum tertium, id quod necessario, uel ut plurimum, post aliud esse debet, adeo ut post illud nihil restet. Quas quidem partes, bene docet Horatius, inter se arcte deuinciendas esse, ne primo medium, mediouie imum, discrepare uideatur, Epistola, quae extat ad Pisones, et uulgo de arte Poetica inscribitur, u. 152. Ad extremum magnitudinem habet, quae quodam rerum ambitu continetur, neque amplo nimis, neque angusto, ita ut partes illae nec nimium dilatatae, amplitudine sua memoriam fatigent atque obruant, nec contractae nimis, exilitate sua eandem fugiant et eludant. Etenim ut corpus illud demum agnoscimus pulcrum, quod nec magnitudine sua modum excedit, nec paruitate ac tenuitate deficientis naturae uitium prodit: ita eam laudamus actionem, cuius constitutio et fabrica prudens quoddam iustumque partium temperamentum ostendit, et certa illarum consensione mensuraque continetur. Actioni sane magnitudo adfit, necesse est, quo habeat poeta, in quo exerceatur, et patefacto ingenii spatio, excurrat. Verum tamen huic termini, quibus coerceatur, defigendi sunt, ne latius euagandi uiam sibi faciat, sed in certum recepta tramitem, intra commodum sui conspectum consistat. Quod ni fiat, fiet uitium, quod rei Poeticae doctor *λίαν μέγα, καὶ οὐκ εὐσύνωτον*, dixit cap. XXIII Id

Id uero docuit Aristoteles, nec tamen ex suo unius sensu deprompsit, uerum ex Homero didicit, quem exempli loco habuit propositum, cum ad tradendum poetices studium aggredereetur. Nam cum aliis poeticae laudis partibus summum uatem ceteris, qui ad illud ingenii fastigium non aspirarunt, longe multumque anteponat: tum eius iudicium in seligenda actione singulare agnouit, et diuina quadam laude affecit, cap. XXIII. Quod quidem quam probe faciat, ipsius peruestigatio Homeri nos admonabit. Ordiamur ab Iliade, cuius aetatem in dubitationem quidem uocatam esse, commemorat Eustathius, sed antecedere Odyssaeam, L. 2. Ver. Hist. testatur Lucianus. Ea uero commemorat, Achillem, in Agamemnona, erepta Briseide, ira incensum, pugnam aduersus Troianos detrectasse, eaque re Graecis multum malorum intulisse, tantisper dum, Patroclo a Troianis caeso, cum Agamemnone in gratiam redierit, et coniunctissimi hominis mortem ulturus, inierit proelium, Hectoremque, a quo amicus interierat, obtruncarit. Argumento uerbis his concepto, unam omnino actionem inuenimus, eamque non tam φυσικῶς, quam ἠθικῶς, et figillatim ποιητικῶς, spectatam. Haec autem Aristoteli est ἡ πρὸς τὸ αὐτὸ συντείνουσα τέλος, loco supra laudato. Nam siue poetae stetit, in heroe hoc suo magni ducis exemplum effingere, quemadmodum ueterum multis, in iisque Eustathio 11. pag. V. et nobis semper, uisum est: siue ei constitutum fuit ac deliberatum, docere, quanta sit calamitati dissensio sociorum et discordia, sicut Torquatum Tassum, accepimus existimasse: utrobique succurunt caussae, quibus ducti, unam tantum actionem agnoscamus. Etenim si priorem amplectamur sententiam, non imperite facturus uidebatur poeta, si quidem ostenderet, quantum herois sui et absentia nocere, et praesentia prodesse Graecis posset.

DE CRYPSI

set. Vtrumque certe eo pertinebat, ut, cladibus ultro citro-
que illatis, constaret, quantum esset praesidii in una eius
uirtute et ope constitutum. Prius uero quo demonstra-
ret, causa quaedam secessionis, ab exercitu faciendae, quae-
renda erat. Quam Agamemnon, ablata Briseide, praebe-
bat. Hac enim iniuria ignominiaque offensus heros, e
castris excessit, et in solitudinem profectus, abstinuit pu-
gna. Achille absente quietoque, neque Agamemnonis
auctoritas, nec prudentia Vlysis, nec Nestoris eloquen-
tia, nec ceterorum fortitudo Graecorum, impediabant,
quo minus Troiani, tanquam submoto Graeciae propu-
gnaculo, in hostes facerent impetum, eosque, multis attri-
tos cladibus, debilitarent, duce potissimum Hectore, qui
multos Graecorum confecerat, ipsum etiam Patroclum,
Achilli amicissimum, contrucidarat. Haecenus male rem
gesserant Graeci, et magnam belli iacturam fecerant, et,
quorsum tandem res esset euasura, ualde timebant, deserti
ab Achille suo, cuius uel unius manu et defendi, et defensi
uincere potuissent. Quo igitur aperiat Poeta, quantum
momenti situm sit in Achillis auxilio, circunspicit alia, et
subiungit. Hac mente submissus heroi nuncius refert
caedem Patrocli: commemorat periculum, quod adierint
Graeci. Achilles nuntio tam tristi commotus, reuertit ad
exercitum, redit cum Agamemnone in gratiam, fugat ho-
stes et dissipat, ipsum ducem Hectora caedit, unusque et
solus res gerit, quas omnes Graecorum proceres, omni-
bus adiuti copiis, gerere non potuerunt. Atque haec qui-
dem cuncta cum ad unum finem docendae magnitudinis
heroae collineent, ob eamque causam alia ex aliis elici-
antur, et cuncta arctis inter se uinculis colligentur: con-
ficiamus, licebit, non plures una actiones in Iliade extare.

Sin

Sin posterioris opinionem generis secuti, statuamus, quam exitiabilis sit inter socios discordia, exponere poetam de-
 cresse: ante omnia exquirenda erat caussa, qua, distractis
 partium studiis, animi exulcerarentur. Eam uero affere-
 bat ignominia Briseidos, ab Agamemnone ereptae, quam
 tam indigne ferebat Achilles, ut, odio in Agamemnona in-
 citatus, ab exercitu digrederetur, seque in solitudinem
 conferret. Itaque neque Agamemnon Achilli, neque A-
 chilles Agamemnoni, cedendum putabant. Quo fiebat,
 ut horum dissensio, caussae communi permultum noceret,
 quorum consensio, animorumque, et consiliorum, coniun-
 ctio, eam plurimum iuuare potuissent. Exinde hostes rei
 gerendae tempus nacti, Graecos adoriuntur, et multis
 cladibus affligunt. Haecenus docuit Poeta, quantum illo-
 rum disidia obsint, quibus, studiorum consiliorumque so-
 cietate coniunctis, communis agenda sit caussa. At sic-
 uti res contrariae, cum e regione sibi opponuntur, magis
 clariusque explicantur: ita conuenienter instituto factu-
 rus uidebatur poeta, siquidem concordiae commodo di-
 scordiae incommodum illustraret. Interempto igitur Pa-
 troclo, quem egregie dilexerat, regreditur ad exercitum
 Achilles, et expiata offensae caussa, cum Agamemnone in
 gratiam restitutus, in proelium uadit. Extemplo, conuersa
 hostium fortuna, Troianorum copias disiicit, et magna il-
 lorum edita strage, ipsum prostermit Hectorem, eiusque
 caede et mortem amici ulciscitur, et fortunam Graeco-
 rum collocat in tuto. Quae quidem cuncta cum non se-
 cus, ac superiora illa, ad unum, quem exposui, finem con-
 tendant: ne hic quidem plures una actiones inueniri, li-
 quet. Nihil enim officit auctoritas Horatii, qui Home-
 rum Troiani scriptorem belli uocauit, I. Epistol. II. quae ad

DE CRYPSE

Lolium exarata est, et multum reconditae doctrinae comprehendit. Venusinum certe uatem, constat, ad libri totius ambitum, non ad principem tantum actionem, spectasse. Etsi enim per episodica, quemadmodum infra demonstrabimus, multa inferuntur, quae belli, ad Ilium gesti, plures res actionesque complectuntur: una tamen actio principatum tenet, ad quam reliquae omnes, tanquam ad metam scribendi et scopum, amplificandi, exornandi, et delectandi causa, referuntur. Neque eo secius Homerus, cum integri huius operis, pariter cum episodiis considerati, rationem haberet, non Achilleida, uti postea Stadius, sed Iliada, inscripsit. Audiamus Thessalonicensem antistitem, eundemque pereruditum Poetae enarratorem. *τάυτην τὴν βίβλον συλληπτικώτερον Ἰλιάδα ἐκάλεσε. ἢ οὔτε ἀπὸ ἐνός τινος, ὡς εἰάν Αχιλλεία, ἢ τι τοιοῦτον ἐκαλεῖτο, οὔτε δὲ τοὺς Ἰλιεῖς ὡς δηλαδὴ τὰ τῶν Ἰλιέων μόνων περιέχουσιν κακὰ· ἀλλ' ὅτι περιέχει τὰ κατὰ τὴν Ἰλιον συμπεσόντα, ἤτοι τὰ Τρωϊκά* Prooem. Horatius igitur uel ipsum illud nomen, quod Poesis praeferebat Homericam, sequi poterat, salua quidem actionis primariae simplicitate, cui commemoratio rerum Troianarum, *ἐπεισοδικῶς* facta, fraudi non erat. Quod cum praeclare intelligeret Aristoteles, Iliadi unam tantum actionem cap. X. et *λόγον συνδέσμων ἓνα*, cap. XX. tribuebat. Immo uero non desunt, qui Homero in praecipua quadam laude ponant, in eius tam Iliade, quam Odyssea, non unam modo actionem animaduerti, sed unius etiam, cum et Achilles, et Vlysses soli omnia facere uideantur. Sicuti uero una, ita integra etiam, et perfecta, actio in Iliade comparet. Etenim si haec illa demum est, quae initio, medio, et fine, constat: dubitari non potest, quin talis prorsus illic inueniatur. Vtram
libet

libet illarum, quas ante oculus posuimus, opinionum sequaris: re diligentius expensa, sic statuendum putabis. Fac, Poetam, id sibi datum esse negotii, credidisse, uti magni ducis imaginem expressam daret. Eo, ut dixi, multum intererat, declarari, quantum Achilles et absens noceret, et praesens coramque prodesset. Quo igitur, relicto exercitu, abscederet, pugnaque desisteret, causa indignandi opus erat, quam Briseis, per vim contumeliamque, missis ab Agamemnone praeconibus, erepta, suggerebat. Hac enim submota, Thetidos ammonitu matris, pugnandi consilium abiiciebat Achilles, et offensus iniuriis, luctuque perculsus, ab exercitu secedebat. Hoc igitur initium actionis, idem principium cladis, qua Graeci, effusis Troianorum uiribus, afficiebantur. Dum abest Achilles, et, conseruata ignominiae memoria, discruciatum animi, caedes utrinque fit, sed maior Graecorum, et tanta, ut in praesentissimum ultimumque discrimen adducantur. Hoc uero medium actionis infelix et calamitosum, quo desiderata est Achillis uirtus, tot malis periculisque depellendis unice suffectura, nec prius recuperata tamen, quam Patrocli, amicissimi hominis, casus renuntiaretur. Cuius ulciscendi ardore inflammatus Achilles, arma capit, et reconciliatus Agamemnoni, in hostes inuehitur, ac singulari fortitudinis exemplo rem gerit, ipsum etiam Hectora caedit. Ita uero breui commutata utrobique fortuna est, et Graeci, ope herois sui, ex malis his sese emerferunt, ac, deiecto Hectore, triumpharunt. Troiani uero, in calamitates coniecti, amissam incolumitatis et salutis spem in perditum ducis iactura deflerunt. Hunc talem rei gestae finem habet actio, quo meliorem habere non poterat, propterea quod tali for-

DE CRYPSE

fortitudinis exemplo finitur, quod herois magnitudinem exaequat, et ipso optato rei exitu bene feliciterque terminatur. Iam finge, Poetae in animo fuisse, docere, quantum disfidia sociis obesse possint. Hoc enim quibusdam eruditorum uero uidetur similis, quando ipse Homerus iram indignationemque operis initio praefatur ac proponit, eandemque perniciosam ualde, et contentione, qua Agamemnon atque Achilles disfederint, oriundam. Laudi sane ducit et Homero, et Virgilio Fabius, quod breuiter et perspicue summam rei, quae cognoscenda sit, indicarint, Inst. Orat. Lib. IV. cap. I. Idem Themistio, qui Homeri perdiligens, acri iudicio cuncta eius momenta expendebat, uisum est, cum illum *ποινήτην τῆς ἔριδος* Orat. III. uocauit. Quam in sententiam in argumento operis Fr. Portus Cretenensis notat. *Illud etiam non est praetermittendum, actionem unicam, in qua poema debet uersari, ut docet Aristoteles, iram esse, cetera episodica.* Eadem mente Horatius Achilli tribuit characterem iracundi, inexorabilis, exortis, qui iura sibi neget nata, nihil non armis arroget, eumque aequabili ratione conseruandum esse, monet. Nec uero minus actioni perfectionis et integritatis suae ratio constabit. Nam dissensionem indignatio ereptae Briseidos parit. Qua motus Achilles, armis positus, digreditur ad naues. Hostes, submoto ab exercitu Achille, rei gerendae occasione usi, Graecos concidunt, et prope ad desperationem adducunt. Nihilominus Achilles, offensae tenax, in proposito uindicandae iniuriae animum aduersus Agamemnonem obfirmat, licet Agamemnon Vlyssen, Aiacem, et Phoenicen, legatos ad eum mittat, nec multa solum dona, sed suam etiam filiam despondendam, polliceatur. Postea, plurimis Graecorum caesis, ipso etiam Patroclo interfe-

terfecto, ulciscendi cupiditate flagrat, et reductus cum Agamemnone in gratiam, cum hostibus manum conferit, ac uictis eorum copiis, ipsum confodit Hectora, magnoque Troianorum incommodo, prosternit. Est igitur absoluta et integra quaedam actio, cuius initium et medium Graecis, Achille irato, calamitosum fere et pestiferum fuit, extremum tandem, reconciliato eodem, fortunatum, planeque ad gloriam insigne. Tanto minus assenserim uiro, Gallici nominis clarissimo, cuius obseruationes in Homerum et Virgilium, eruditae cetera, extant. Contendit enim, iram istam reuera initium habere, sed fine et medio destitui, propterea quod ab alia ira, quam caedes Patrocli contra Hectora excitauit, superetur atque eiiciatur. Ita uero tuas esse iras, priorem ob amissum amicum, alteram ob ereptam amicam p. 35. Ex quo collegerit quispiam, plures quoque actiones ibidem inueniri. Ego uero ex sententia illius praestruo, quod eruditissimo uiro supra probari uidebatur, monstrare Homerum uoluisse, quantum calamitatis inter socios discordia creare possit. Id si ita est, operae pretium facit Poeta, cum irarum illarum altera, quam amicae abstractae dolor incenderat, ad declarandam discordiae pestem utitur, alteram uero, quam amici caedes commouerat, ad demonstrandam concordiae utilitatem, qua ipsa discordiae pernicies magis illustratur, componit. Nihilominus una manet actio, licet partibus constet, cum omnes hae partes ad unum, quem praediximus, finem coeant et constringantur. Vere enim et pulcre praecipit G. I. Vosius Instit. Poetic. lib. I. cap. IV. cum una dicatur actio, adeo non excludendam esse, quae e pluribus conflata sit partibus, ut potius talis requiratur, propterea quod actio tota et absoluta intelligatur, totum uero

E

e par-

DE CRYPSE

e partibus componatur. Quod autem idem maxime crimini dat Homero, reliquam eius poematis partem nullo cum ira ista vinculo devinciri, ipsum Poetam decem et octo librorum spatio de ea ne cogitare quidem, qui, propositionis et consilii sui oblitus, nil nisi obsidiones, proelia, impetus necopinato factos, concilia Deorum, et alia omnia loquatur: id uero iniquius dictum mihi uidetur. Crebram enim Poeta irae illius mentionem iniicit, et nunc cladis, a Troianis illatae, culpam in eam confert, nunc eius leniendae consilium inquit, modo illius acerbitati irascitur, interdum unam Achillis opem Graecis exoptat. Quorsum attinent illa,

Ι. κ. ἀλλὰ μιν οἶω κήδεσι μοχθήσειν καὶ πλείοσιν, εἶκεν Ἀχιλλεύς ἐκ
 χόλῃ ἀργαλέοιο μεταστρέψῃ φίλον ἦτορ, Ιλ. λ. Νῦν οἶω περὶ γούνατ'
 ἐμὰ στήθεσσι ἀχαιοὺς λισσομένους. χρεῖά γέ ἰκάνετα οὐκ ἐτ' ἀνε-
 κτός· Ιτ. αὐτὰρ Ἀχιλλεύς ἐδλὸς ἐὼν Δαναῶν οὐ κήδεσσι, οὐδ' ἐλεαίρει·
 Ιτ. αὐτὰρ Ἀχιλλεύς οἷος τῆς ἀρετῆς ἀπονήσεται. Ιτ. τίς δ' οἶδ' εἶκεν οἷ
 σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίναις, παρρηπῶν· Ιλ. ν ἀλλ' εἰδὴ καὶ πᾶμπαν ἐτή-
 τυμον αἰτιός ἐστιν ἥρωσ' ἀτρείδης εὐρυκρείων ἀγαμέμνων, ὅσνεκ' ἀπη-
 τίμησε ποδώκεα πηλείωνα. Ιλ. ξ. Ἀτρείδῃ, νῦν δήπου Ἀχιλλῆος ὀλοὸς
 κῆρ γηθεῖ ἐνὶ στήθεσσι, φόνον καὶ φύζαν ἀχαιῶν δευκομένου. Ιτ. ἀλλ' ὁ
 μὲν οὕτω φησὶ καὶ εὐχεται ὅσνεκ' Ἀχιλλεύς νηυσὶν ἐπὶ γλαφυρῆσι
 μένει κεχολωμένῳ ἦτορ· Ιλ. π. ἀλλὰ τόδ' αἶνον ἄχ' κραδίην καὶ
 θυμὸν ἰκάνει, ὅππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐδέλῃσιν ἀμέρσαι, καὶ
 γέρας ἄψ' ἀφελέσθαι, ὅ, τε κράτει προβεβήκει. Δινὸν ἄχ' τόμοι ἐστίν·
 ἐπεὶ πάθον ἀλγεα θυμῶ· Ιλ. σ. ὡς ἔρις ἔκτε θεῶν ἐκ τ' ἀνθρώπων
 ἀπόλοιτο, καὶ χόλῳ, ὅστ' ἐφείηκε πολύφρονά περ χαλεπήναι.

Omitto reliqua, quum ex iis, quae protuli, liquido constet tantum abesse, ut Homerum irae istius, quae in Agamemnona ferebatur Achilles, obliuio ceperit, ut potius eius memoriam semper, et ubique, fere renouarit. Itaque Poeta, ubi reprehenditur tam grauitur, cum maxime mihi laudandus uidetur, qui ipsa operis propositione pollicitus enarrationem malorum, quae Achillis indignatio pe-

pe-

pererit, ab exercitu heroem seducat. Quo destituti Graeci, affliguntur cladibus, et multis rerum difficultatibus impediuntur, quae demum uera illius irae effecta haberi debent. Interea passim eiusdem memoria refricatur, quam aut ipse interdum Achilles, aut plerumque alii Graecorum adhibuerunt. Adeo ut ad Achillem rerum summa referatur ubiuis locorum, eoque irato, Graecorum; mitigato uero, Troianorum, salus periclitetur. Summo igitur iudicio, et tecto quodam, eodemque insigni, scribendi artificio usus, in proposito recte sibi constitit, ubi uel nexus partium, uel instituti recordatio, indignius ab illo desiderabatur. Quod si meminerimus, in Iliade ad unum quendam finem omnia spectare: tanto minus dubitandum fuerit, quin ibidem actio etiam, bene conspicua magnitudine praedita, reperiatur. Etenim hic demum scopus, omni argumento fixus et statutus, fines ambitumque describit, et leges dat actioni, ne aut citra, aut ultra decoram magnitudinem consistat, sed ut, suis circumscripta terminis, conspici facilius, et memoria teneri, possit. Quo quidem seruatae laudis exemplo admirationem Homero excitat Aristoteles, eumque ceteris antefert, qui non historiam belli persecutus sit, sed unam eius partem amplexus, multis, quae inseruerit, episodis coeptum opus dilatarit. cap. XXIII

Ab Iliade transeamus ad Odyssaeam, et uideamus, qua tandem cura haec, quas diximus leges, sequatur. Ulysses, multis annis periculosa peregrinatione consumptis, ab Alcino, Phaeacum rege, hospitio quidem recipitur, eius tamen, dum abest, bona fortunaeque ab arrogantibus Penelopes procis dissipantur, adeo ut ipsi etiam Telemacho insidiae struantur. Qui dum fu-

E 2

ga

DE CRYPSI

ga salutem petit, et patrem peregre quaerit, Vlysses, superatis errorum difficultatibus, domum reuertit. Quibusdam suorum agnitis, laetatus, adoritur ceteros, et caesis interfectisque inimicis, acceptas ultus iniurias, bene rem gerit. Hic Numenius Vlyssen interpretatus est alium quemcunque, qui mundi generationem transeat ordine, et eo demum perueniat, ubi nec tempestates, neque iniurias maris, perpetiatur, non abnuente Porphyrio, qui explanationi huic non parum fauere uidetur, lib. de Ant. Nymph. Scriptor, tacito nomine, incertus, qui errores Vlyssis in moralem explanat sententiam, et a Conrado Gesnero editus est, undecim erroribus non inscite expositis, in extremo, Homerum, contendit, Vlyssis persona hominem, uoluptatis irretitum illecebris, qui, cognitis uitae suae miseris, ad temperantiae, et boni moris, studium non sine suspiriis redire uelit, exprimere studuisse. At, qui potior nobis auctor erit, Horatius, l. Epist. II. docet, id egisse Poetam, ut in Vlysse proponat exemplar, unde perspiciatur, quantum uirtus et sapientia efficere possit. Atque hunc talem ipsos etiam Stoicos iudicasse Vlyssen, cum sapientem dixerint, inuictum laboribus, et uoluptatis contemptorem, uictoremque terrorum omnium, auctor est Seneca cap. II. de constantia sapientis. Id si ita est, subest causa, quamobrem in Vlyssa unam tantum actionem, eandemque principem, agnoscamus. Nam cum omnia, quae in ea dicuntur, ad unum, quem praestruximus, finem uertantur et contendunt: cogitando facile assequimur, ex iisque, quae supra disseruimus, recordamur, non plures una actiones hic esse constituendas. Enimuero Vlyssi, qui sapientiae documentum dare debuit, conflictandum etiam fuit cum aduersa fortuna, quo uirtutis eius uis et splendor e media
cala-

calamitatis caligine eluceret, et felici rerum exitu comprobaretur. Actus igitur erroribus, longe lateque peregrinatur, et instantia toties pericula nunc magnitudine animi et constantia uincit, nunc ratione consilioque depellit. Tantisper, dum ab Alcino, Phaeacum rege, susceptus, et nauibus acceptis, deuectus, ad suos redit. Etsi uero tot mala pertulerat, quot hominum quisquam perpeti posse uideatur, cuius uxor domi procorum molestiis distringebatur, bona ab iisdem consumebantur, filius, uitaque ipsa, in discrimen identidem adducebatur: tot tamen tantisque rerum difficultatibus non succubuit, sed praesenti restitit animo, et omnes demum, disiectis caesisque hostibus, fortissime superauit. Hoc enim illud est, quod eum Horatius *rerum undis immerfabilem* appellet, et declaret omnibus, sapientiam multis quidem, iisque grauissimis, rerum incommodis saepe numero impediri, sed consilio corrigere casus, et tricas negotiorum iudicio explicare, propulsatisque fortunae iniuriis, quod ad perniciem cogitatum erat, ad salutem conuertere, inuictam ad extremum amplissimum agere triumphum. Ita uero cum omnia ad unam quandam metam collineent, non est dubium, quin una in Odyssaea actio inueniatur. Ibidem uero, haud secus atque in Iliade, actionem integram, et absolutam, inuenimus. Nam, Ilio exciso, procul patria diuagatur Vlyses, et Neptuni, Polyphemi caedi irascentis, offensa exagitatus, in Calypso insidias incidit. His diu detentus, demum aegre dimittitur, et amisso focis, iactatur maritimis, ac tempestate disiectus, identidem periculo capitis offertur. Ad ultimum Phaeacum nauibus in patriam perlatus, suos recipit, et hostes caedit ac profligat. Huius igitur erroris initium molestum fuit, et periculi plenum,

E 3

sed

DE CRYPSE

sed multo periculosius, et laboriosius, medium, finis uero peroptatus. Atque insigni adeo prudentiae integrae exemplo docuit Vlysses, uirtuti quidem non deesse incommoda, uerum eam in omni fortunae uarietate sibi constare, et, prudentia duce, omnem calamitatis impetum infringere, ac seruata ex mediis fluctibus procellisque, in portum inuehi, tutamque praestari. Quod si ad unum finem conspirant omnia, conficiamus, licet, hoc magis memoriae legentium consuli, seu illud *εὐμνημόνευτον* teneri, eoque magis aptae magnitudinis laudem conseruari. Ac profecto actio, quam Odysea complexus est Poeta, certae cuiusdem magnitudinis mensuram implet, certo ambitu, definitis denique trium generum terminis, continetur. Qui enim Vlyssen Troia deduxit ad Ogygiam, eundem per Phaeacum terras in Ithacam reducit, eiusdemque laborum et acerbis, quae cum meliori rerum euentu commutabantur, finem ostendit. His ita constitutis, disfidemus a Paulo Benio, uiro cetera erudito, qui in sermonibus Academicis, super Homero et Virgilio habitis, duplicem in Odysea fabulam deprehendere uisus est. At, ne aliorum iudicia eruditorum uiri huius auctoritati obiiciamus, melius fecisset, si finem, Homero propositum, et *commonstratum ab aliis*, reuocasset in memoriam, ad eumque singulas poematis partes conformare instituisset. Futurum certe erat, ut, re solertius excussa, unam tantum fabulam, consentientibus doctorum suffragiis, Vlyssaeae tribuendam putaret. Benio circumspectius quidem iudicat uir eruditissimus, cuius obseruationes in Homerum et Virgilium legimus, a nobis supra commemoratas. Multum tamen Poetae auctoritatem eleuat, cuius opus, uitio dedit, a peregrinatione Telemachi capere initium, et cum erroribus Vlyssis finire, iter

iter uero Telemachi neque Vlyssis itineri respondere, neque ab actione principe seiunctum non esse, neque ullam occasionem reducendo Vlyssi praeberere. Verum qui norunt, nervos atque artus esse sapientiae, nil temere credere, ii, cum ipsum euoluent Homerum, cognoscent facile, Poetam neque a peregrinatione Telemachi, quem altero demum libro educat domo, exorsum esse, neque cum erroribus Vlyssis defuisse. Contra ea ab ipso Vlysse orsus est, et in Vlysse defuit, neque in erroribus eius, sed in ultione et caede procorum, in quos, malis in eorum capita conuersis, grauius animaduertit. Iter uero Telemachi, quod episodio constat, omnino ad Vlyssen pertinet, cum, ammonitu Palladis, Vlyssis exequendi causa initum sit. Ac cum poeta statuisset docere, quantum malorum, errore locorum diuagans, pertulerit Vlysses: filius officium faciebat, quando patrem, cuius recuperandi spes facta erat, requirebat, eumque domum reducere conabatur. Qui cum patrem, quascunque obiret terras, neque explorare, nec adducere, posset: hoc magis Vlyssis magnitudo calamitatis, qua laborabat, perspicere poterat, cum is non nisi Palladis, quae Phaeacum amicitiam conciliauerat, et Iouis auctoritate interposita, e malis emergere, et reuocari in patriam posset. Haec dum geruntur, illa Vlyssis curam suscipiebat, et absentis uxorem consolabatur, filium etiam seruare studebat, cuius salutis insidias collocari, non ignorabat. Ita uero ne opus quidem erat, iter Telemachi reducendo Vlyssi seruire, cum sufficeret, Telemachum ad reditum patris integrum, et periculi expertem, conseruari. Pallas, cuius tutela praesidioque stabat Vlysses, eum sibi honorem uindicabat, ut et patrem, et filium, e periculis seruasse diceretur. Cuius generis, tantum abest, ut quicquam

uitio

DE CRYPSE

uitio uerterit Homero Aristoteles, diligens, ut nihil supra, huius doctrinae iudex, ut potius Poetam exempli loco, quod sequerentur omnes, proposuerit, et uel ipsas artis poeticae praeceptiones exinde tradiderit ac formarit

Homeri uestigiis institit immortale Latii decus, P. Virgilius Maro, ipso felicior Homero, quod hic neminem, quem imitaretur, habuit, ille uero et Homerum, et doctrinas Aristotelis, ex Homero concinnatas, et tot praeterea poetarum opera, euoluit, et, qua fuit iudicii facultate, expendit. Cuius quidem Aeneis, duodecim annorum labore scripta, etsi conditori omnibus absoluta numeris adeo non uidebatur, ut eius morientis iussu, nisi Augusti obstitisset auctoritas, combusta fuisset: tamen eruditorum animos expleuit tantopere, ut non desint, qui eam cum Scaligero ipsis Homeri uoluminibus iudicii laude anteponant. Tanto minus dubitandum est, quin in ea quoque compareat, id quod in Iliade, atque Vlyssaea, et quaesiuimus supra, et, quod sciamus, iuuenimus quaesitum. Nam Aeneas, Troia euerfa, in exilium ire coactus, multa adit pericula, ut externum prouinciae, a maioribus suis cultae, regnum, in quo res suas constabilire posset, quaerat, et multis laboribus terra marique perfunctus, in Italiam defertur, et hospitaliter a Latino excipitur, caesoque Turno riuale, cum Lauinia rerum potitus, florentissimi, quod unquam sol aspexit, imperii fundamenta iacit. Quod quidem opus, constat, Poetam, Augusto percarum, et ualde familiarem, eius hortatu aggressum esse, et per partes ei recitasse, sigillatim librum sextum, pro cuius uiginti uersibus quinque aureorum milia recepisse fertur, neque Imperatori, cum cremari iusserit auctor, tam inuisum reddere potuisse, quin ab excessu eius Aeneida Varro et Tuccae recognoscendam permise-

miserit Augustus. Quod qui meminerunt, hi cum Seruio ad Aeneid. I. et Donato in uita Virgilii, contendunt, poetam, inuito scribendae Aeneidos consilio, Romanae gentis, in primisque Augusti, honori seruisse, eumque originis nobilitate, ac rerum praeclare gestarum amplitudine, confirmare decreuisse. Nam ex Dionysio Halicarnassensi, Strabone, Plutarcho, tum ex Liuiio, et aliunde, constat, Romanos ab Albanis, Albanos a Troianis et Latinis, ortos esse, et gentem Iuliam, in eaque Caesarem, et Augustum, ab Iulo, Aeneae filio, ultimam generis sui memoriam repetiisse. Aliis, ad quorum numerum sese aggregat uir eruditissimus obseruationibus in Homerum et Virgilium, persuasum est, uerum poematis argumentum ad nouum quoddam imperium, in Latio fundandum, referri. Sunt praeterea, qui cum Nicod. Frischlino pertendant, Poetam diuino eodem opere uiri principis, et magistratum gerentis in republica, imaginem expresuisse. In qua sententiarum uarietate intelligendum est, sicuti alioquin unius rei plures, sed dignitate dispares, esse fines possint: ita nullam obesse rationem, quo minus credamus, in uno quoque Aeneidos opere Poetam plures uno fines sequi potuisse. Itaque etsi inter cetera haud abnuo, Poetam, quicquid suscepit negotii, id ad Romanorum, horumque principis, Augusti, dignitatem, monumento quodam publico augendam, contulisse: tamen, si acrius contemplamur institutum Maronis, non difficile est intellectu, eum ad imperium, in Latio instaurandum, retulisse cuncta, eoque conditu Romanae genti, et quae huic praeerat, Iuliae cum primis familiae, immortalis nominis gloriam conciliare uoluisse. Etenim soluit e Phrygia Aeneas, iter facit, et regnum quaerit, saepe tamen spe excidit, ad extremum regnum in Italia condit, quod

F

is

DE CRYPSE

is postea tenet, a quo gens Iulia genus ducit. Quo pacto cum omnia recte cohaereant, et ad unum eundemque finem omnia spectent: unam etiam actionem, licet, perspiciamus. Sed profugit, ut diximus, euersis patriae rebus, Aeneas, et regni alibi terrarum constituendi causa, longe lateque peregrinatur, et terra marique multa, perperam acerba, perfert, ac saepe ab exilio prope abest, quoad delatus in Italiam, ad spem melioris fortunae erigat animum, et, interempto hoste Turno, Lauinia, regnoque, potiatur. Quae dum referimus, eiusdem, quam unam diximus, actionis initium, quod fatali Troiae casu luctuosum miserumque fuit, medium, quod anceps dubiumque, et finem, qui optatorum summam attulit, commemoramus, eademque opera actionem integram, et perfectam, comprobamus. Ac cum Poeta Aenean, ruinis euersionisque Troiae ereptum, per Siciliam, et cetera, ad quae appulsus est, loca in Latium deducit, eiusque tum uirtutes, tum res bello gestas, persequitur: certo quodam ambitu cuncta concludit, et constitutis trium generum terminis, actionem definit, eoque magnitudinem eius bene conspicuam, et memoriae commodo futuram, demonstrat. Eadem uero actio nec iustam magnitudinem, neque integritatem, habebit, si uerum est, id quod sermones, Scaligeri nomine inscripti, asseuerant, Poetam, Homeri exemplo, quatuor et uiginti libros, nisi fatum prae-ripuisset consilium, scripturum fuisse. Idem, fateor, memoriae prodidit, quem secutus est Scaliger, Tib. Claudius Donatus, fuisse, qui putarint, Poetam, si uitam produxisset, quatuor et uiginti libros ad Augusti usque aetatem componere, et alia quaedam strictim attingere, res uero ab Augusto gestas summo studio curaque perscribere, consti-

tu

tuisse. At recenset tantum opinionem aliorum uitae Virgilianae scriptor, quam licet approbaret, nihil tamen auctoritate sua nos moueret, quam eleuari posse, haud dubie cognoscemus, si meminisse uelimus, eodem auctore, M. Ciceronem quosdam eius uersus audisse, eosque admiratum, totam ab initio Eclogam reuocasse, ac repetendam curasse, eaque ad finem perducta, Poetam alteram magnae Romae spem uocasse. Id uero perperam dictum esse, et bene subducta temporis annorumque ratio conuincit, et secundum alios eruditissimus sodalis Ignatianus, Fr. Vauasfor pereleganti de ludicra dictione libro, p. 172. diligenter animaduertit. Quo fit, ut nihil nobis obsit, neque Donati huius commemoratio, nec contrarium cuiusque iudicium, modo recogitemus, Poetam casu Turni, ad quod instituerit animum, consecutum esse, ob eamque rem pariter cum fine ipsam quoque actionem commodum terminari. Qua inductus causa doctissimus uir, cuius obseruationes in Homerum et Virgilium identidem commemorauimus, Maronem laudat, cum Homerum uituperet, eumque contendit, peccaturum fuisse, si pedem protulisset ultra, neque istuc uestigium fecisset, p. 88. Quod cum minus animaduenterent uiri quidam docti, Maronem supplere confidentius ausi sunt, in iisque C. S. Villanoua, qui Aeneida libro decimo tertio auxit. Quod quidem institutum cum probetur Auctori Journal des Sçauans, Anno cl. l. CXCVIII. XX. p. 363. opinatur idem, conuenire inter eruditos, poesin hanc Virgilianam ultimam manum non recepisse, eidemque funebrem Turni pompam, connubium Aeneae, ab eoque et bella in Italia gesta, et leges ibi latas, abesse. Sed, qui fateamur, extremam poetae limam ad expolitionem operis non accessisse, contendi-

DE CRYPSE

dimus tamen cum aliis, quae hic desideret uir doctissimus, ne expectanda quidem a tanti poeta iudicii fuisse. Ac cum una tantum actio poetae, uti supra demonstraui, proposita esse debeat, legem hanc uiolasset Maro, siquidem duodecim Aeneidos libris reges Albanos ad Amulium usque, resque Romanas ad Augusti usque principatum, subtexuisset. Grauius ut dicam, monstri quid aluisset Poeta, si historiam, quae mille annorum excederet spatium, summatim perstringere coactus fuisset, qui priori opere perpaucos annos tam ample copioseque exposuisset: propterea quod, si more historicorum res enarrasset illas, frigidae et superioribus dissimiles, fuissent; sin episodica et digressiones, uti antehac, adiecisset, futurum erat, ut id operis multis poetarum uitis staret. Intellexit hoc, et expendit, castigati uir iudicii, Vosius, ob eamque causam grauis cuiusdam erroris reos fecit, quibus in mentem uenerit de Poeta haec talia sentire, *Instit. Poetic. lib. III. cap. IV.* Atque adeo cum narrationis epicae lex caueat, ne nimis alte, tanquam ab ouo, rem repetamus, neque ultra, quam oportet, proferamus: offendisset Virgilius, si res Albanas et Romanas, quae sunt extra unam illam Aeneae actionem, persequi statuisset, ut scienter obseruat *Iac. Pontanus Instit. Poetic. lib. II. cap. VII.* De illo, quem alii addunt, sine quamuis eadem moneri possent: tamen in praesens minus laboro, cum sit, id quod supra inuestigauimus, iam exploratum. Possem nunc ad Tragicos et Comicos descendere, idemque, quod de Epicis expositum est, eorum exemplis docere, nisi, quod indagauimus, liquido constaret, et quod adiungi posset, ab eodem Vosio, *Instit. Poetic. lib. I. cap. IV.* satis explanatum uideretur. A qua iudicii laude abfuit Valerius Flaccus, cetera non indiligens Maronis
imi-

imitator, et multiplicatis operis actionibus, criticorum censura notatus est, in iisque Vosii patris, Instit. Poetic. lib. VII. pag. 62. Papinius autem Statius instituto Achilleidos scribendae cum Homero quidem de principatu laudis contendere ausus est, sed temeritatis et arrogantis notam memoriae suae inusit, propterea quod omnem Achillis vitam, resque gestas, componere statuit, posthabito Homeri exemplo, et neglecta Philosophi animaduersione, neque inita unius actionis ratione, quam epicus alioqui sequi debet. Pari modo Lucanus acrem et excitatum animum, et regios spiritus, ad scribendum attulit, sed actionis constituendae peritia Virgilianae prudentiae magnitudinem assecutus non est, eumque laboris fructum tulit, ut historicus, et declamator, quam epicus poeta, potius dicatur. Omitto, quem prius nominare debuissem, Nasonem, et Silium Italicum: quorum alter in praeclaro Metamorphoseon opere actionis simplicitatem ne pensi quidem habuit, cum historicum mythicum, quam poetam epicum, agere mallet; alter bellum Punicum ita persecutus est, ut e uersus elegantia et dulcedine, quam ex accurata, qualem postulabat Aristoteles, actionis constitutione plus gloriae suscepisse uideatur.

Exposita principe actione, sequitur, ut secundarias uideamus. Has uero dicimus, quae positae quidem sunt extra causam actionis palmariae, cum ea tamen coniunguntur, eiusque amplificationum accessionibus illustrandae, et ornandae commendandaeque gratia, adhibentur. Graecis ἐπεισόδια dicuntur. Quod quidem nomen latius patet, et nunc laxius, nunc angustius, ac magis proprie, sumi solet. Nam, quicquid a proposito alienum et seiunctum est, nec proprie ad negotium, de quo agimus, atti-

DE CRYPSE

net, episodium uocatur. Ita legimus apud Suidam *κατα-
χρηστικῶς τὸ ἐξαγώνιον ἅπαν πρᾶγμα*, h. u. In quam sententi-
am Athenaeus in erudito sapientum conuiuio instituit *κατ'
ἐπεισόδιον μεταβαλεῖν τὸν λόγον*, cum aliud argumenti genus,
et diuersum a priori, amplecteretur, quo, tanquam re no-
ua, animos taedio relanguescentes, et fessos, recrearet, Di-
pno soph. lib. X. Dato uoci huic laxamento, episodium
cum digressione qualibet, quae quidem ornandi et dele-
ctandi caussa operi inferatur, paria facit. Tanquam cum
urbem, agrum, hortum, prata, collem, aliumue locum, de-
scribas. Id quod non soli facere solent poetae, uerum
oratores etiam, qui multa poetis debent, cum iisque plura,
quam uulgus capit, communia habent. Hi enim in eo
orationis genere, quod *ἐπιδεικτικὸν* uocant Graeci, dilatatio-
ni, tanquam insigni dicendi instrumento, plurimum
dant operae, ob eamque rem solent *ἐπεισοδιοῦν*, cum, ut lo-
quuntur rhetores, *ἀπὸ τῆς θέσεως πρὸς τὴν ὑπόθεσιν*, et uersa
uice, digrediuntur. Quod cum oratorum, in primisque
Isocratis, exemplis constat: tum a Vosio, rhetorum iunio-
rum facile principe, e quo uno se profecisse fassus est Ios. Sca-
liger, erudite obseruatur, Instit. Orat. lib. I. cap. V. Est etiam e-
pisodium omne aduentitium, idemque iucundum, acroama,
quod proprio iure ad propositum non pertinet, et praeter
argumentum fabulae et dramati, risu ciendi caussa, infer-
tur. Rursus laudabo Suidam, qui magis proprie loqui uidetur.
*ἐπεισόδιον, τὸ εἰσφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν, ἔξω τῆς ὑπο-
θέσεως ὄν.* Multis ante seculis dixerat Plato *ἐπεισόδια τὰ γε-
νόμενα ἡδονῆς ἕνεκα*, Sympos. 2. Cuius generis episodica in ipso
quoque Homero inuenit Plutarchus, quae, risu excitato,
uoluptatem afferant, cum Vulcanum claudicantem, et
mero epulisque obrutum, uidemus. Nec uero minus,
effu-

effusis in risum animis, legamus, licet, Therfiten, turpissimae deformitatis hominem, lepide describi, et magna uocis contentione ingentique clamore dicere in Agamemnona, percussumque ab Vlysse, procacitatis, plagis compressae, fructum ad ultimum ferre. At episodica notione magis propria uocamus, quae extra causam quidem, ut diximus, actionis principis consistunt, eius tamen gratia proferuntur, cum eaque copulantur. Haec igitur sunt actionum propria, neque infixae quidem in argumenti principis causa, sic ut ab ea abesse prorsus non queant, uerum cognatione quadam ei coniuncta, eiusque gratia prolata, adeo ut in actionis palmariae recepta foedus, non necessariam quidem, quandam tamen, eandemque commendationis plenam, apponant partem. Etsi uero plures sunt uirtutes, quibus episodica commendantur: tamen in primis danda est opera, ne sint coacta, et alte nimis petita, sed propria, et cum actione coniuncta. Prioris enim generis si fuerint, peregrina, et ab re aliena, uidebuntur, quae infiti quid habere debent, cuius uinculo cum actione principe deuinciantur. Posterius autem episodiorum genus, cum actionem principem quadam rerum necessitudine attingat, ei non ornamentum modo, uerum etiam lucem, affert, et magis commodam nectendi causam praebet. Quamobrem idem magnus rei poeticae doctor exegit. ὅπως δὲ ἔσται οἰκεία τὰ ἐπεισόδια σκοπεῖν. Exempli etiam loco ante oculos proponit Sophoclem, in cuius fabula, quae Orestis nomine inscribitur, insania, qua laborat ille, et salus expiatione procurata, habeant communitatem. Interdum tamen forinsecus arcesse possunt. Tanquam in Senecae Hercule furente extrinsecus asciscuntur, quae de Creontis obitu, Lyci tyrannide, Megaerae, filiorum, et fo-

ceri,

DE CRYPSE

ceri, periculis a Lyco exponuntur. Modo meminimus, quae propria sint, praestare, et cogitandum esse, ubi, et quomodo, illa cum actione prudenter coniungantur, quo fiat ἐπεισοδιοῦν ἢ παρενέργειν, quod uult Philosophus Poet. cap. VII. Idem praecipit, ut sint σύντομα, seu concisa. Ex quo colligunt quidam, in reprehensionem incurrere, qui amplioribus, et longioribus, utantur, neque animaduertunt, quae tandem sint ea concisa, uel qui demum ii, de quibus Aristoteles loquatur. Principio meminisse iuuat, σύντομον, et quod breue est, Graecos distinxisse. Quos, constat e Fabio, aliter circumcisam expositionem, id est, σύντομον, ac breuem, intellexisse, sic ut illa superuacuis careret, haec aliquid ex necessariis desiderare posset, lib. IV. cap. II. Ac fatetur doctissimus dicendi magister, breuitatem sibi uideri, non ut minus, sed ne plus, dicatur, quam oporteat. Tragicis deinde hanc legem dat Philosophus, non omnibus omnino poetis, quos, tantum abest, ut eadem necessitate adigat, ut ab Epicis potius ampliorem horum ambitum requirat. ἡ δ' ἐποποιία τούτοις (ἐπεισοδίοις) μήκύνεται. Cuius rei causa in promptu est. Etenim cum poema tragicum unius solis spatium non excedat, epicum contra multorum res annorum imitatione comprehendat: constat non difficulter, illud breuioribus, hoc longioribus, episodis dilatandum esse atque augendum. Ac sigillatim epici poematis ratio ita comparata est, ut non solum multa, eademque uberiora et longius producta, recipiat episodica, sed in iis etiam praecipuam artem suam, ac pene omnem, consumat. Parui certe laboris est, materiam, uersibus mandandam, e Cyclo et Pandectis poetarum, aut aliunde, arripere: at aptis, et in loco insertis, et praeditis affectu, episodis eam locupletare

pletare

pletare, et amplificare, quoad tenue, uel sterile etiam ieiunumque, argumentum in iusti magnitudinem operis excrescat, id demum eiusmodi esse credimus, quod et ingenii, et iudicii, facultatem, et exquisitam artem curamque, exposcat. Idem tanti fecit uir in omni poetarum lectione accuratoque studio, maximopere uersatus, Daniel Heinsius, ut negaret, Epicum poetam sine episodis esse posse, in iisque ipsam heroae poeſios uitam collocaret. Qua Horatium explanat, p. 141. Quamquam uero episodica aliorum poematum alia sunt breuiora, alia longiora: tamen ubique magnae ducitur laudi, si eos habeant affectus, qui potissimum exaggerando indignitatem rerum asperarum inuidiosarumque, et in ceteris altitudine quadam, horrorem, indignationemque, et commiserationem, in animis hominum excitare possint. Graeci cum magno Criticorum rege, Aristotele, *δικτον ἢ δεινωσιν* uocant, lib. III. Rhet. cap. XVI. Quo quidem loco probatur nobis, similiter atque Antonio Riccobono, explanatio Io. Francisci Muscati, Patauini, uiri doctissimi, si quis ea, quae aliquid antecesserunt, aut consecuta sunt, sigillatim narrando persequatur, eum *πραττόμενα λέγειν*, id est, rem oculis subiicere, tanquam nunc geratur; si summam, et uno uerbo, quis defungatur, eum *πεπραγμένα λέγειν*. Ut uetet Aristoteles, quo minus rei sigillatim enarrandae rationem ineamus, ni huius generis sit facinus, ut singulari rerum commemoratione aut indignationem, aut misericordiam, ciere queamus. Atqui haec talia, quae affectuum sensum recondant, episodica amplecti poetas, quo maiorem uim poemati addant, qui uel a limine praestantissimos salutarit poetas, ignorat nemo. Sicuti autem omnem omnino orationem nihil magis commendat, quam elegans partium nexus, sic

G

ut

DE CRYPSI

ut nullus inueniatur hiatus, sed omnia contexta sint et conferta, et naturalem locum tenere uideantur: ita diligentia cum maxime est adhibenda, ut episodica cum actione principe arctius coniungantur, quo non quaesita in alienum immigrasse locum, sed sponte oblata, suum occupasse, uideantur. Hoc enim illud est, quod intelligens harum doctrinarum magister praecepit, quem meminimus inculcare ἐπεισοδιοῦν, ἢ παρενείρειν. Quod ni fiet, ne fine quidem potiemur, quem in eo quoque situm esse, diximus, ut his digressionibus, et insertis, actio princeps ampliatur atque ornetur. Id quod Aristoteli est διαλαμβάνειν τὴν ποίησιν. cap. XXIII. Immo uero nisi apte inter se deuinciantur cuncta, ita ut ad unum eundemque finem spectent, fiet, ut plures una actiones principes constitui uideantur. Id quod in uitio ponendum erit

Nihil aut diximus, aut dicere uidemur posse, quod quidem ad dignitatem episodiorum referatur, quin idem exemplo suo comprobarit Homerus. Nam uti nullae rei poeticae facultas in ullo ullius aetatis ingenio sigillatim eluxit, quae non cum ceteris, iisdemque uniuersis, eiusdem generis laudibus in eo clarissime explendescat: ita nullam rei episodicae uirtutem requiras, cuius uiuum, et spirans, exemplum ab eo capere non possis. Ipse certe Aristoteles multa in eo agnoscit episodica, quem, boni consulit, unam tantum belli, ad Troiam gesti, partem amplecti, ceteras uero per episodica, eademque multa, inserere operi, neglecto illorum more, qui belli eius ordinem ab initio ad finem, non interrupta rerum gestarum serie, persequantur. Poet. cap. XXIII. Id quod tam uere docet, ut, cum altero Iliados libro inueniamus episodium de nauium numero, tertio aliud conspiciamus singularis illius certami-

taminis, quod de Helena cum Melenao suscepit Paris, aliud item quarto, quo Dii de Ilio expugnando in commune consulunt, alia denique aliis libris, et tot ac tam copiosa, ut, cum princeps actio res, uno gestas anno, contineat, totum poema, episodiorum multitudine auctum, quae decem gesta sunt annis, ambitu suo comprehendat. Nec secus de Odysssea sentiendum erit. Cuius argumentum ualde sterile compluribus, iisque amplis, episodiis longius profertur. Vixdum orsus est Poeta, cum ex persona Telemachi episodion interponit, et ad quartum producit librum, ac potius ad septimum, quo commemorantur quaedam, primariae actioni propius coniuncta. Eadem octauo, nono, decimo, undecimo, duodecimo, aliis etiam libris extant. Singula referre non uacat, cum et plurima sint, et fere nemini eruditorum ignota. Antiquis quidem temporibus in uulgus nota erant, et suis distincta nominibus, quemadmodum ἀπόπλους, νίπαρα, ἐκθεσις, et alia, testantur. Quae cum, facta principis actionis contentione, considerarent quidam, Homerus iis ubique fere ab argumento digredi, eoque coarguendus uidebatur, quod uaria, et multiplici, episodiorum copia cogitationum suarum impetum, nullo rerum discrimine, sequatur. At meminisse debebant, criminatione, qua existimationem poetae minui uelint, eam augeri. Magni enim est ingenii, magnaque artis, in argumento inope, parumque foecundo, episodiorum beneficio ita uersari, ut nulla narrandi copia deficiat, et noua rerum iucunditate animi semper reficiantur. Ita uero cum in utroque poemate plurima occurrant episodica, et cuncta sigillatim exponere, longum sit: ad institutum sat fuerit, uel in una insistere Odysssea. Ne moralem illum finem, quem poetae propositum fuisse su-

DE CRYPSI

pra diximus, in praesens in medium reuocemus, exter-
nam tantum principis actionis formam contemplemur.
Quam, ex ipsius poetae propositione discimus, eo spectare,
ut Vlyssen per multa errorum pericula et mala circum-
agat, ad eum finem, quoad hic, ut exitus poematis docet,
in Ithacam ad suos redeat saluus, acceptasque iniurias ul-
ciscatur. Hac mente eum, excisa Troia, cum sociis pro-
fectum, in Ortygiam insulam ad Calypso, Atlantis filiam,
perfert, cumque inde, multis et magnis perfunctum la-
boribus, in Corcyram insulam, ad Alcinoium, Phaeacum
regem, perduxisset, nono, decimo, undecimo, duodecimo
libris labores casusque, quibus iactatus erat, in epulis regi-
is commemorantem facit. Quam quidem narrationem,
comperimus, exempli loco proposuisse ueteres, et suis ab-
solutam partibus iudicasse. Haec uero ipsa episodium
est, nec pauca episodica comprehendit. Ac cum refert,
quas res gesserit Vlysses, qui cum Ciconibus pugnarit, ad
Lotophagos accesserit, Polyphemum, eruto oculo, occaecar-
it, ad Aeolum, Laestrogynas, Circe, ipsos denique infe-
ros, peruenerit, et quae huius generis sunt plura: actio-
nes certe recenset. Quae tamen usque eo necessariae non
erant, ut a principe actione seiungi non possent, cum Vly-
ses iam ultra harum rerum metam terminumque a poe-
ta prouectus esset. Alioquin uitium fecisset principis acti-
onis commemoratio, si, quae prius euenerunt, turbato et
peruerso rerum ordine, posterius exposuisset. Ex quo
tamen actiones illae in fabulae corpus conflatae sunt, quan-
dam eius partem conficiunt, licet non necessariam, ele-
gantem tamen, et ornatus causa comparatam. Propri-
um enim est episodion et domesticum, et principi actioni
cognatum, cum haec Vlyssis fata explicet, illud autem,
quae

quae Vlyssi usu uenerunt, pariter tradat. Itaque latius patet, et quatuor librorum conficit spatium, cum iure suo utatur Poeta, et ingenio, in quo excurrat, campum aperiat, neque in simplici narrandi proposito conquiescat, sed artis afferat praesidium, et, quantum dicendo ualeat, declaret. Etenim usque eo summa ope nisus est, tantopere ingenii et industriae neruos contendit, adeo nihil in expoliendi studio fecit reliqui, ut hic demum ueteribus artis exquisitae exemplum uisus sit prodidisse. Cui quoque rei illud indicio est, quod, quam narrationem, recisis episodis, in Aristotelis editione sexaginta, in aliis triginta et quatuor, uersibus expositam uidemus, eam Poeta integris quatuor libris diduxit. Indidem iudicari potest, uti supra significauimus, episodica ad augendum ornandumque poema comparari. In eodem episodio antiqui critici ponunt affectus, quos paulo ante *δένωσιν καὶ δίκτον* appellauimus, idque tanta eius commendatione, ut, quae episodis plurimum auctoritatis conciliant, ea hic praeclari cuiusdam exempli documentum dare uideantur. Vix enim, opinor, quisquam tam ferocis est ingenii, efferatique animi, qui, cum Vlyssen uideat, fatis suis ingemiscentem, et illacrymantem tantopere, ut, quid primum, quid deinde, quid postremo, referat, expedire et constituere non possit: cohorrescat nunquam, nulla animi commotione ad misericordiam flectatur, nunquam, adhibita humanarum uicissitudinum memoria, dolore afficiatur. Constat inter omnes, quae naturae nostrae contraria credantur, adeo quidem, ut ingenti quodam malo interitum uideantur afferre, horrorem iniicere animis, et quae cuiquam ob oculos ponantur mala, sic ut illa uel in se, uel in suorum quopiam, perpeti queat, praesertim cum mala sint ingentia, in usque,

DE CRYPSI

quos indignos hac fortuna putemus, conspiciantur, misericordiae sensum excitare. Sic enim Philosophum II. Rhetor. 2. meminimus docere. Idem agit, operamque dat, Poeta, ut malorum, quibuscum conflictatus est Vlysses, difficultatem et grauitatem in immensum augeat, et cum multitudine illorum magnitudinem exaequet, quo animi, in tot, tamque grauium, obtutu periculorum defixi, commoueantur. Haud secus, ac curam eo confert, ut Vlysses ea, quam excepit, calamitate indignus uideatur, quo homines communis, quam nullius cautio circumspetioque animi effugiat, fortis admoneat, tantoque magis ad misericordiam adducat. Tam apte autem episodium idem cum actione principe coniungitur, ut multi illud ab hac uix distinguant, propterea quod nulla hiulcae, et distractae, orationis pars inuenitur, nihil quaesiti, et ambitiose affectati, extra reliquum poematis corpus eminent, sed cuncta sponte utroque consequuntur, et sese mutuo excipiunt, quasi a re suppeditata, non industria inuenta, essent. Namque ubi Alcinous Vlyssen, luctuoso fatalique Demodoci carmine commotum, lacrymas profundere, et suspirare uidit, ei causam dat narrandi. Quam tanta uis, et dicendi peritia, agit ille, ut Rex Phaeacum, casu eius percussus, eum muneribus cumulet, et nauibus in patriam deportandum curet. Quo nexus, tam conuenientis, nomine Vlyssis narratio peracri Maronis iudicio tantopere probata est, ut eam in Aeneide imitando exprimere non dubitarit. Tanto minoris faciendi sunt iniquiores Homericæ doctrinae existimatores, qui praestantem hanc narrationem laceffunt, et τὴν μακρὰν πὰρὰ Φαίαξιν ἀδολεσχίαν uocant, re inconsideratius sprete, et ludibrio laesa, cui bonae fidei, meliorumque antiquitas partium, tribuerat permultum.

Aequi-

Aequius, et multo honestius, de Poeta existimauit Horatius, peritus harum rerum, si quisquam, arbiter, quem ait, *ex fumo lucem dedisse*, cum ad Pisones scribit, u. 143. Id quod in eam accipiendum est sententiam, Poetam plus praestitisse, quam promississe, qui simplici ratione exorsus sit poema suum, postea tamen exquisita hac narratione, uel, quem dixit Platonica familia, τῷ Ἀλκινόου ἀπολόγω, spem expectationemque uicerit, cum uarios miscuerit affectus, et multa sit episodica episodico nobilissimo complexus. Ita uero exponit Daniel Heinſius, quem ipsa mens Horatii facile ruetur, cum Antiphaten, Scyllam, cum Cyclope Charyb-
din, Diomedem, Troianumque bellum, commemorarit. Longum esset, alia ex Homero repetere episodica, et superuacaneum forte, cum uel ex uno hoc, id quod res est, intelligamus

Vix scio, quid tandem sit, quod Homero ad dignitatem nominis praestantius esse queat, quam illum habuisse imitatore, qui tanto ceteris generis sui poetis celebritate carminum antecellat, quanto ante hunc ipse confirmili laude gloriaque omnes superauit. Hic ille est Maro, ab Eusebio ex edit. Valesiana pag. 993. uere meritoque dictus ἐξοχώτατος τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποιητῶν, qui uti in actionis principis studio Homerum uestigiis consecutus est, ita in episodiis eum identidem expresit. Ac cetera quidem nec circumspicio, nec conquirō, ne suscipiam laborem, amplum nimis, nec necessarium in praesens. Alioqui non deessent, tanquam illud de colloquio Aeneae cum Heleno, de profectioe ad inferos, de Pallante et Euandro, de Niso et Euryalo, de Camilla, et alia complura, quae ante oculos legentium obuersantur. Vnum tantum illud amplectar, quo Didoni reginae fata sua exponit Aeneas,
copio-

DE CRYPSI

copiosissimum omnium, et tam praeclarum, ut inter cetera facile principatum tenere uideatur. Neque enim Poetae fat erat, quod sibi datum negotii alioqui crediderat, Aenean, domo profugum, Troia deducere ad regnum, in Latio condendum. Altius res repetenda uidebatur, replicanda simul illarum memoria rerum, quae susceptam profectioem anteiuerant, illa etiam fortuna referenda, quam heros, inuito itinere, terra marique perpeffus erat. Hac mente Poeta, ubi Aenean, cremata patria, profectum, in Siciliam prouexerat, et consilio in Italiam nauigandi tempeffate disiecto, pertulerat in Africam, commentus est, ducem Troianorum a Didone benigne humaniterque exceptum, quo reginae morem gereret, narrationem instituisse. Haec uero duobus libris, altero tertioque, continetur. Qua cum principio euerfionis Troianae feriem enarrat, deinde exponit, quemadmodum in exilium actus, primum in Thracia futurae urbis fundamenta iecerit, tum in Creta, extructis moenibus, res suas constituere pararit, poste a ad Strophadas appulfus infulas, ab Harpyiarum iniuriis sese defenderit, et paruo tempore interiecto, Actii ludos Apollini fecerit, et quae sunt alia: actiones profecto conffignat. Quamquam ne hae quidem tam necessariae erant, ut feiungi ab actione principe non possent, quando Aeneas septimo iam anno in Libyam delatus erat, quam res illae contigiffe ferebantur. Quo fiebat, ut non nisi per episodion inferi possent, eo adhibitum, ut narratio amplior efflet atque illustrior, et uarietate rerum distincta, magis delectaret. Alioqui uix, ac ne uix quidem, purgari poterat Poeta, qui, conturbatis temporum rationibus, Aenean cum Didone aeui spatio coniunxerit, quos feculorum interuallis disiungi, ignoret nemo. Liquet enim ab euerfione Troiae ad Carthaginis
na-

natalem numerari CCXCIX. annos, quemadmodum Ios. Scaliger Prolegom. Eusebian. ad annum MCLXVII. numerum subducit. At Maro, qui historiae scribendae partes non susceperat, fingendi libertate priuilegioque utitur, et quos aetatum intercapedo distrahit, ingeniosa commiscendi ratione in idem artati temporis spatium congregat, eaque re multum commendationis operi suo affert. Quod enim ex persona Aeneae intexitur episodion, etsi, altius repetita rerum gestarum memoria, narratione defungitur, tamen a principe actione alienum non est, ac potius cum ea coniunctum arctius, cum palmariae actionis pars praecipua sit Aeneas, illo uero, quae hunc in fugam coniecerint, et multis casibus periculisque affixerint, expediantur. Illud nusquam ab herois persona discrepat, nullarum interuentu rerum dirimitur, quae arcesantur longius, et alieno loco infulciantur. Ipse loquitur Aeneas, ipse fatalem rerum patriarum conuersionem, et uel his innexas, uel has consecutas, fortunas suas, et dubios ancipitesque casus, enarrat. Nusquam fere digreditur ab argumento, quin, oratione ad semet ipsum conuersa, ad institutum reuertatur. Longius, neque id abnuo, prouehitur rerum narratio, et breuiori orbe claudi poterat, si Poeta, repudiato amplificandi apparatu, rem in pauca conferre statuisset. Verum tamen, qui sciamus, Maronem ab inutili uanoque uerborum strepitu adeo refugere, ac penitus abhorrere, ut in dicendo restrictus ac parcus, eloquentiam in tacendo saepenumero colere uideatur: facile persuaderi possumus, futurum fuisse, ut is ample dicendi consilio abstineret, nisi in proposito hoc ratio quaedam euidens, et suadendi ui praedita, ei constitisset. Nulla uero erat alia, quam illa cognita Homero, eiusque auctoritate

H

ah

DE CRYPSE

ab Aristotele praescripta, figillatim poesein epicam episodiorum usu instruendam esse ac dilatandam. Quo iuris praesidio fultus Poeta, artis suae vires experitur, et, relicto simplici atque inornato narrandi genere, ornatus et instructius sequitur, et elegantiam cum dignitate, dignitatem cum rerum momentis, exaequat, et sublatis taedii causis, animos ad uehementius legendi studium magis ac magis inuitat. Quod enim in episodiis singulari, et praecipua, laude dignum habetur, ut, quemadmodum commonuimus, oratio affectibus excitetur, quo animos, casuum euentorumque atrocitate percussos, teneat, et, commoto commiserandi sensu, conturbet: id, dubium non est, quin hoc loco eam expromat uim, ut uix quemquam fore opinemur tam immanem ac barbarum, quin oratione illa, et tot tantorumque malorum notis insignita, tot imbuta lacrymis, tot denique querimoniis ultimae calamitatis personante, inflectatur ad humanitatem, et, tanquam in argumento rei uerae ac praesentis, ad doloris communitatem, societatemque alliciatur. Ipsa certe Dido, idem sibi usu uenire, Annae sorori fatetur. heu quibus ille

Iactatus fatis! quae bella exhausta canebat! Aen. IV.
13. 14. Quorsum animaduertit Seruius enarrator. *Per haec amoris impulsus ostenditur. Et hoc ad miserationem pertinet.* Donatus item. *Incipit sensim confiteri, quod amet, quod doleat casus eius.* Nobis quidem, quicquid huius est, spe certe fiduciaque artis suae dicere uidetur Poeta, quo idem ille, qui alioqui perpetuum, idemque egregium, modestiae indicium facere solet, re factoque, et exemplo, confidentius demonstret, sese iam concitasse illos animi motus, quos dignitati poematis sui studuerit conciliare. Cuius laudis fructum nullius obtrectatio ei eripiat, quem hoc
maio

maiori honoris cumulauit accessione, quo cupidius elaborauit, ut digressio haec apta quadam, et consentanea, partium colligatione cum actione principe deuinciatur. Etenim cum Aeneas, facta in Africae oram excensione, ad Didonem discessisset, illiusque rogatu, patriae aequae, ac suae rationem fortunae amplioribus uerbis exposuisset: illa quidem, tanti uiri misericordia, similiter atque amore, capta, eius connubium appetit, cumque, eo fuga dilapso, spe optati excideret, doloris impatiens, extracto rogo, necem sibi consciscit. Haec illa est actio, cuius infelix funestusque exitus tantopere permouit Hipponensium antistitem, Aurelium Augustinum, ut legendo magnam lacrymarum uim sese profudisse, ipse scriptum reliquerit, Confess. lib. I. cap. XIII. Cuius auspiciū qui cum extremo comparat, et, quae his interiecta sunt, confert, et, facta partium omnium contentione, de re iudicare instituit: is intelligit facile, omnia inter se consentire, et prima, ultima, media; inito quodam foedere, coaluisse, itaque coagmentata esse, ut uix, nec nisi iis, qui temporum rationem in numerato habent, commentitiae rei suspicionem afferant, et tanquam uere gesta commemorari uideantur.

Ita uero summorum exemplo poetarum corroboratum uidetur atque euictum, quod de actione principe, et, quae secundarias diximus actiones, episodis, Aristoteles praecepit. At enim Olaus Borrichius, uir magnae in his quoque literis auctoritatis, quae in eam sententiam figillatim de epicis dicta sunt, tam iniquo perfert animo, ut tanquam dictatorias Philosophi leges recuset, et libertati poetarum existimationique uim afferri, contendat. Equidem etsi, quis fuerit Borrichius, non ignoro, ob eamque causam eius manes, cuius merita famamque ueneror, laceſſere no-

DE CRYPSE

lo: inficiari tamen non queo, quae crimini dentur Aristoteli, ea, rebus diligentius circumspectis, mihi probari nondum potuisse. Atque ut illa, quae de uerisimilitudine in contrariam differit sententiam uir doctissimus, tantisper differam, dum loco magis aequo atque opportuno eorum momenta expendam: principio negat, in poemate Epico actionem unam illustrem, heroibus exempli loco proponendam, requiri, nisi id agamus, ut innumerabiles poetae senatu poetarum moueantur, ii quoque, qui uel unius Principis, uel plurium, res bene praeclareque gestas illas quidem, sed, nullo delectu habito, uarias cumulatasque, enarrarint. Tanquam, si ab iis discesseris, quos ipse Criticorum princeps capite censuit, Papinius in Achilleide, Silius, Lucanus, et tot recentiores. Ex ueteribus etiam, Catullus, Horatius, Iuuenalis, Persius, Martialis, tum Nicander, Aratus, Oppianus, Lucretius, Maro in Georgicis, Gratius, Manilius, et alii, qui uel naturam rerum hero uersu expresserunt, uel epistolas Poeticas scripserunt, uel argumentum sacrum, aliusue generis, exposuerunt. Adeo, ut uix ullus existere uideatur, qui legem, ab Aristotele latam, seruarit. Verum iam pridem docuit Philosophus, sicuti in aliis, quae imitentur, artibus una imitatio sit unius: ita fabulam etiam, quoniam actionis sit imitatio, unius et totius esse debere. *χρὴ οὖν, inquit, καθάπερ ἐν ταῖς ἄλλαις μιμητικαῖς ἢ μία μίμησις ἐνός ἐστίν· οὕτω καὶ τὸν μῦθον, ἐπεὶ πράξεως μίμησις ἐστὶ, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης.* Poet. cap. IX. Enimvero cum unum sit poema, quod unam complectitur fabulam, una uero sit fabula, quae unam actionem exponit: unum etiam erit poema, non quod unum omnino hominem, sed unam unius actionem, eamque totam et perfectam, intuetur. Quod Vos-
fium

fium rei poeticae doctorem minus fugit, ob eamque causam, qui alioquin ab Aristotele dissensit, illud ei assensus est, unam omnino actionem, unamque fabulam, figillatim epico poetae tractandam esse. Instit. Poet. lib. I. cap. IV. §. 3. lib. III. cap. V. §. 5. 6. et alibi. Est tamen haec actio princeps, quae plures comprehendere potest actiones secundarias, omnes autem ad primariam illam relatas, cum eaque conuenienter nexas, et ad communem quendam finem conformatas, adeo quidem, ut inde una demum fabula existat. Quod cum asseueramus cum Philosopho, uerendum non est, ne, qui secus fecerint, omni poetarum numero prorsus excludantur. Erunt uero poetae, sed non eximia illa, et Aristotelia, notione, nec, quos ab ipsis historicis poetis distinguit Vossius, astrictius Epici, quales intellexisse Stagiriten magistrum, scimus. Hunc enim talem, non quemlibet, ab eo informatum esse, ignorat nemo, qui reuocat in memoriam, quemadmodum is fabulas, prout poeosis ratio uideatur exposcere, constituere ingrediatur, et poeosis uim in imitandi instituto collocet, poetasque, uulgi opinione comprobatos, parum moretur. Stat ei, quod operis initio profitetur, inter cetera tradere, πῶς δεῖ συνίστασθαι τοὺς μύθους, εἰ μέλλοι καλῶς ἔξειν ἢ ποιῆσαι. cap. I. Paulo inferius in consuetudinem uulgi dicit. πλὴν οἱ ἀνθρώποι ποιῶσι συνάπτοντες τῷ μέτρῳ τὸ ποιεῖν, τοὺς μὲν ἐλεγειακοὺς, τοὺς δὲ ἔποικοὺς ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς τοὺς κατὰ μίμησιν ποιητὰς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες. Ex quo perspicuum est, qualem oratorem Tullius, talem poetam Aristotelem instituisse, et, quid in huius operis forma excellens, summum, perfectumque, ac caput laudis poeticae foret, solertius et acutius exquisiuisse. Quo pacto etiam poetarum epicorum, cuiusmodi electe et eximie dictos cum Philosopho quaerimus

DE CRYPST

rimus, pauci sunt futuri : tamen , cum alii, praecipuae huius laudis expertes, maneant nihilominus poetae, periculo iniuriae iis inferendae nihil impedimur, quo minus in eiusdem carminis iudicio pro studio unius actionis propugnemus. Vix ullus autem, qui legem hanc colat, non reperietur, quando plures uno, Homerus atque Virgilius, eius mensuram implerunt: quorum alterum, ut diximus, eius rei diuina quadam laude ornauit Aristoteles, alteri eiusdem dignitatem gloriae asseruit Lib. I. cap. IV. §. 3. Vossius, et studiosius, quem commemorauit, Gallus obseruationum scriptor, utrumque certe in huius praestantiae possessione supra dedimus firmatum. Qui si soli legis illius uim affecuti essent: huius, opinor, laudis exemplum illorum excellentiae conueniret, quorum praecellentibus ingeniis neque in Graecia, neque in Latio, ullum perfecti operis iure emolumentoque par ponebatur. Nec uero mirandum sit, si, quod principibus artis huius licuit, idem non perinde licuerit aliis, et quod diuino, ne ipso quidem Philosopho pro parte diffidente, quorundam excellentium hominum iudicio aestimatum sit ac perspectum, id non cuiusuis labore studioque expressum, ac uulgatum penitus, esse. Est enim profecto quodam naturae consilio constitutum, ut ingenia quaedam ad fastigium eminentis gloriae prouehantur, quo alia satis habeant, si propius accedere queant. Quam palmam poetarum duumuiris nemo uel Graecorum, uel Latinorum, dubiam faciat, et cum multa praecipuae prudentiae exempla, tum illa seligendae actionis solertia, confirmant. Largiatur tamen, quicum agimus, V. CL. inueniri hos tales poetas, si dicatur, tradi quidem uarias unius actiones, sed omnes ad unam primariam, tanquam ad metam, collinearé, nec uerendum adeo sit, ne tali modo prin-

princeps actio inter ceteras euanescat, difficulter certe dignoscatur, nec raro secundariarum splendore prorsus obscuretur. Id quod Homero pariter ac Virgilio euenisse, excusso utriusque poemate, uir celeberrimi nominis comprobare pertendit. Ita uero est: una est actio princeps, quae plures continet succenturiatas, omnes tamen ad illam, tanquam ad communem quendam scopum, reuocatas, quemadmodum ex Aristotele constat. Hic si a reliquis uel nihil, quod equidem non putem, uel difficulter, quod potius dem, princeps actio internoscatur: laudari sane cum Philosopho artem poetae, tam apte, quae primariae actionis non sint, cum ea conglutinantis, ut emunctioris sit naris, ubi quaerenda sit princeps illa, sagacius odorari. Quod quidem institutum, nouimus, tam probari magno artis poeticae doctori, quam ei male audiant Episodicae fabulae, in quibus, sicuti exponit, τὰ ἐπεισόδια μετ' ἀλλήλα οὐτ' εἰκός, οὐτ' ἀνάγκη, εἶναι, cap. X. Nec uero cuiquam mirum uideatur, inter actiones subiectas delitescere illam principem, qui norit, epico poemati episodica, quae ad actiones inferiores retulimus, crebriora, et ampliora conuenire. Enim uero tragoedia, cum agentes imitetur, ob eamque causam circuitu solis definiatur, atque ad agnitionem et περιπέτειαν festinet: episodica etiam pauciora, atque e rebus proximis petita, sumit. Contra, quam Epopoeia studium in narrando collocat, cumque narratio longior esse debeat, similia iuxta, ac dissimilia, asciscit. Cuncta tamen arctissimo inter sese uinculo colligat, et uarietate rerum, ac iucunda quadam nouitate, recreat animum, pabuloque, quam dici possit, gratiori pascit. Quibus rebus fit, ut actionis principis commemoratio, quam uno uerborum ambitu comprehenderis, actionum secundari-

DE CRYPSI

dariarum episodiorumue accessione aucta et collocupletata, integri cuiusdam, et ampli, uoluminis instar facile exigat, et in molem operis, omni expectatione maiorem, diffundatur. Res in promptu posita est, siquidem exempla Homeri et Virgilio, quae ipse Cl. Borrichius ante oculos posuit, contueamur. Quocirca multi, iudicio rei poeticae praestantes, uiri in eadem dilatandae actionis uarietate tantum momenti posuerunt, ut, in ea praecipuam epici carminis laudem sitam esse, existimarint. Supra quaedam de Danielis Heinsii sententia diximus, et alio tempore, data differendi occasione, plura ex instituto dicemus. Ita uero iudicari potest, fieri et debere, ut princeps actio inter subseruientes latitet tectius et abstrudatur, et posse, ut eadem illa harum lumine nonnunquam obscura reddatur. Nihil tamen inde detrimenti actio princeps capit, propterea quod ad unum finem omnia conspirant, eumque uel eminus, uel cominus, intuentur, et uel illustratione, uel ornatu, uel admiratione, iuuant. Occursant, fateor, in Homero actiones tales Hectoris, Vlyssis, et aliorum, quae ipsam primariam Achillis actionem nunc utilitate, nunc honestate, superare uideantur. Sed quando cum principe in unum narrationis epicae corpus conflantur, et ad communem adeo finem propius, uel e longinquo, contendunt: actioni principi profunt potius, quam obsunt. Quamquam, si quidem huius foret loci, non deesset forte ratio defendendi Poetae, cum non abnuat Cl. Borrichius, adesse hic unam, eandemque praecipuam, actionem, modo agnoscatu pariter, eius imitationem Principem uirum minus decere. At enim pro Homero dixerunt alii, et sine diuersis iudiciis aestimato, dissimili etiam ratione responderunt. Seorsum Achilli data est a nonnullis crimini uehemens ira, qua, erepta Briseide, exarsit

arfit tanta, ut multis annis patriae gloriam, atque adeo salutem, deseruisse, et tantum non prodidisse, feratur. Habere hic uisus est Plato, quod reprehendat. Borrichius etiam, si qua re alia, offenditur, adeo quidem, ut hoc factum ceterorum, quae Principe sint indigna, maximum, et indignissimum, putet. Quod crimen diluere forsitan aufit, qui cum Torquato Tasso in Dialogo de uirtute contendat, Poetam hunc animi morbum poematis sui argumentum fecisse, propterea quod iracundia ueterum heroum, ante promulgatam orbi mansuetudinem, et clementiam Christianam, nihil imbecillitatis seu uitii habuisse censeatur. Verum tamen eo confugere nolim, sed, si magni, et inuicti, animi effigiem Achillis persona exprimentam putauit Homerus: malim arbitrari, indicari hoc exemplo, quam facile a leui saepe caussa mens, quo generosior sit, hoc celeriores, quod ait ille, et maiores, capiat motus. Quicquid obtendat alius, quod fieri posse, non nego: dicam equidem, ne in principe quidem actione omnia ad imitandum proponi. Imitatur quidem actionem, sicuti ostendi, poeta, et, quod alibi exponam, perfectiori quadam ratione imitatur: sed heroam licet, humanam tamen. Homines enim originis et sanguinis iure agnoscimus heroas. At humana uitii omnino omnis expers non erit. Quamuis uitium saepe maiori uirtute emendet, aut penset. Vere enim Plinius, *ad huc*, inquit, *nemo extitit, cuius uirtutes nullo uitiorum consinio laederentur*, Panegyrico, quem Traiano dixit. Et apud prudentissimum scriptorem, C. Tacitum ille. *Vitia erunt, donec homines, sed neque haec continua, et meliorum interuentu pensantur. H. IV. 74.* Ita uero cum humanam actionem imitetur Poeta, in utramque partem dicenda cognoscit. Haec perfectiori imitandi genere exprimit, et uirtutes pariter, ac uitia, plenius sub exemplis fi-

I

stit,

DE CRYPSI

stit, ut illarum pulcritudinem tanto cupidius adamemus, horum autem deformitatem peius auersemur. Ex quo intelligitur, quod praemonui, ne in primaria quidem actione ad imitandi exemplum cuncta referri, sed quaedam nonnunquam fugienda inesse. Quo si referas, quod coarguit Borrichius, tuearis forte Homerum, et criminis absoluas. Plura uero, neque id nescio, ad eius defensionem afferri possent. Praetereo tamen, cum huius potius instituti sit, audire, quae de diuino Aeneidos opere iam nunc V. CL. expromat. Est ei persuasum, si quidem una, et primaria, actio sit Aeneidos, futurum, ut ipsa multas actiones complectatur, neque illustres cunctas, et Principi loco exempli commendandas, atque integri adeo libri episodius impendantur. Equidem nihil ambigam, quin una illius poematis sit actio, eademque primaria, ut dixi. Nihil addubitant eruditi: ne ipse quidem Borrichius, quod intellexerim, hoc inficiatur. Dem etiam, necesse est, plures actiones, quae ad actionem hanc palmariam confluant, eidemque intexantur. At nec sunt illustres omnes, nec Principi exempli loco seruire omnes queunt. Ne ingeminem, ne opus quidem fore; uideamus, quae tandem Principem dedecere uideantur. Creberrime e machina aduocatur Deus, ut Aeneae succurrat, idque tum, cum usitata uiri sapientis prudentia rerum difficultatem expedire possit; contra quam Aristoteles, atque Horatius, praeceperunt. Quod qui carpunt in Marone, iidem in Homero, a quo didicit ille, carpunt. Apud Homerum ab Ioue Priamo submittitur Iris, quae moneat patrem, ut corpus filii redimat ab Achille. Telemachus in Odyssaea cum Vlyssen in Graecia requirit, sine Mineruae subsidio uix uestigium facit. Priami curram regit Mercurius, quo ad Achillem uehatur, et ab impetu Graecorum defendatur.

Mer-

Mercurii opera Iupiter Graecos sopit. Iouis iussu praemit-
 titur ad Achillem Thetis, quo, mitigata moris ferocia, ani-
 mus dolore paterno tangatur. Ne cetera machinae exem-
 pla persequar, uisi sunt quibusdam Dii apud Homerum
 histrioniam facere, et, permutata fortis locique conditio-
 ne, quamlibet induere personam. Hoc autem erat illud,
 quod a poeta requireret commendandus de meliore nota
 criticus, Petronius Arbiter, cum per ambages, Deorum-
 que ministeria, incedi uellet. Atque Homerus quidem id fe-
 cisse dicitur, quo admirationem ubique excitaret, adeo ut
 quibusdam, nimio illius studio, nihil uel rationi, uel affe-
 ctui, uel ipsi demum naturae, reliqui fecisse uideatur. Quae
 caussa est, quamobrem Dioni Chryostomo *χαλεπώτατα*
ψευδόμενος dicatur. Maronis machinae parciores et mi-
 nus crebrae sunt, et plus rationis ac uerisimilitudinis ha-
 bere uidentur. At Troianorum duci suppetias fert ma-
 china, ubi prudentia negotium conficiatur. Desidero hic
 exempla, quae, uellem, proferrentur, quo ex iis de re sen-
 tentia ferri posset. Equidem animum induco, prudenti-
 us Venerem, quam pastorem quendam, aut uenatorem,
 aut alium hominem subagrestem, Aeneae erranti ui-
 am monstrasse. Ipsa filio sese offert, et ubi terrarum sit,
 quemadmodum cum sociis agatur, quam uiam inire de-
 beat, docet. Vix euaserat e tempestate Aeneas, et artu-
 bus omnibus adhuc contremiscebat, qui, clasfis suae naues
 procellis opprimi, et demergi, percussus uiderat, quem, a
 sociis distractum ac diuulsum, fluctus uentorumque impe-
 tus in alto iactauerat, qui omnis spem salutis abiecerat, in
 litus tandem ignotum eiectus. Desertus erat ab omni
 hominum ope, nec consilii copiam habebat, et fere ad de-
 sperationem adducebatur. Quare in extremam calami-
 tatem coniectum, et metuentem cuncta, destituere non

DE CRYPSI

debebat poeta circumspectus, nec hominum, sed Deorum, quispiam in partes uocandus erat, qui ducis animum, rebus aduersis afflictum ac prostratum, excitaret, et spe meliorum rerum confirmaret. Praesertim cum uerisimile foret, eum Diis inuisum ac neglectum non esse, cuius in eos pietatis tanta extaret memoria, et cuius fugae atque exilii comites essent. Taceo, interfuisse decori, ut filio animum adderet genetrix, praesertim cum ipsius fata ab Ioue accepisset. Paris iudicii documentum libro IV. datur. Delegatur ad Aenean Mercurius, ut ancipiti cogitandi cura districtum, et perturbatum penitus, angore animi liberet, et quid facto sit opus, efficacibus monitis ostendat. Fidei, quam Didoni dederat, religio impellit, ut Carthagine commoretur: fata filii, et dandum sine fine imperium, mouent, ut commigret. Inter spem commodi, metumque perfidiae, medius, et suspensus, utrum agat, expedire non potest. Urget hinc Didonis amor, illinc religio Deorum. Homo est, qui nunc affectu, nunc pietate et religione, ducatur, et agitatus uarie, quod hic tenuerit, illic dimittat. Coelestis indicio imperii, uique diuina, opus esse uidetur, quo e tantarum sollicitudinum angustiarumque difficultatibus eluctetur. Parum abest, quin dicam, ac dicam sane, ipsam necessitatem rerum submisisse, ac loquentem monentemque fecisse, Deum, et neminem potius, quam internuncium Iouis Mercurium, quo interprete, omnes agritudinum nodi aptissime inciderentur. Plura machinae specimina praetermitto, quando e superioribus nemo non perspicit, quanto circumspecti iudicii argumento Poeta sit in eo artificii genere uersatus. Vidit, quod dixi, et literis tradidit, obseruationum, toties commemoratarum, sagax compositor, et iudicii neruo Maronem praetulit Homero, obseruantem religiosissime, id quod de digno uindice nido in
prae-

praeceptis reliquerat uates Venusinus, et CL. Borrichius in illo desiderarat. Eundem si audias, Aeneae sigulare cum Turno certamen, quod caput est actionis primariae, parum heroici genii habebit, neque imitandi faciet potestatem. Aeneas armis inuictis, quae fabricatur Vulcanus, munitur; Turnus Metisci, aurigae sui, gladium, casu oblatum, stringit: illi, quo nihil metuat, uictoria diuinitus promittitur; huic terror e coelo incutitur: ille non uinci, hic uincere non potest. Pace tanti uiri dixerim, agnosco hic, quod maxime heroi sit ingenii, et quod heroas omnes deceat imitari. Religio est, quae pium Aenean Diis commendat, quae coelestibus adeo armis eum defendit, ut, qui summa conatur omnia, nulla tamen hominum ui subigi possit. Huius enim laudem tribuit, et constanter seruauit, Aeneae superioribus libris Poeta, pariter cum duabus illis uirtutibus, iustitia, et fortitudine, e quibus tribus, iisque praecipuis, uerus Aeneae character constat. Cognoscitur, quod edisserui, e I. Aeneidos, u. 544. ubi Aenea rege uel *iustitia*, uel *pietate*, uel *bello et armis*, maior commemoratur nemo. Namque hae fuerunt illae uirtutes, quae Augusto publicam olim laudem conciliarunt, cuius imaginem in heroe, quem illi nuncupauerat, artificiosius expressisse Maronem, Segraesius animaduertit. In neruo igitur primariae actionis potissima pietatis uis ex singulari diuinae opis auspicio cognosci debebat. Maxime uellem, huc oculos conicerent heroes, et discerent, a Deo sibi capienda fore arma, si quidem res magnas gerere, et inuicti esse, uelint. Possent insigni doceri exemplo, *omnia prospera*, quod apud Liuium ait Camillus, *euenire sequentibus Deos, aduersa spernentibus*. Lib. V. cap. L. Hoc illud est, quod fassus est Turnus:

Dii me terrent, et Iupiter hostis.

At ferrum aurigae, uti proximum erat, arripere Turnum,

I 3

teme-

temeritatis profecto illius fuit, et esse debuit, qui opinione sui inflatus, nihil timebat, nec gladii, sed ipsa oculorum acie, percellebat, et tanquam uno spiritu difflabat, hostem. Nihil autem opis, sed metum terroremque, et aduersa cuncta, a coelestibus expectare poterat, qui omnia sibi tribuebat, omnem in suis uiribus fiduciam collocabat, denique impugnabat ferocius illum, quem, religione animi fretum, Dii amabant, et fouebant, et magnarum rerum spei destinabant. Ecquis autem operae pretium non putet, hic perdiscere, nemini ne summorum quidem heroum uiribus humanis nimium esse fidendum. Eo pertinet praeclarus Claudiani locus, qui extat II. in Rufin. Quae cum animo et cogitatione complector, sentio equidem, quod neque in poeta, cetera profano, collaudare satis queam, nec principum uirorum quisquam sequi satis posse uideatur. Quibus rebus edoceor, in iis magnopere laudandum esse Maronem, in quibus eum reprehendat CL. Borrichius, idque legis, maximi in Latio poetae negligentia euertendae, causa, quam Aristoteles commendauit. At, quod subterxit V. CL. si unam, eandemque praecipuam, actionem seruauit Maro: consequetur demum, tali modo multos in episodis libros collocari, in quibus plus coloris poetici insit. Multi uero libri Aeneidos episodis constant: non nego. Secundus, et quartus, haec persequuntur: fatear, oportet. Tertium etiam, quod CL. Borrichius non submonuit, addam. Episodis autem poesi Epicam instrui maxime, et conuenienter augeri, praedixi. Repeto amplius, τὸ ἐπεισοδιῶν Philosophum permagni fecisse. Eodem respexit non ignobilis rhetor, Antonius Lullus. *Est, inquit, in epopoeia unius personae una actio, ut in dramate: sed differt multarum fabularum inductione, non uulgarium, nec usu tritarum, sed dissimilium uulgaribus et usitatis, ut Virgilius trans-*

for-

*formationes multas introduxit nauium in Nymphas, Veneris in uenatricem, Cupidinis in Aescanium. Quod cum ita sit, episodius uariis, et multis, utendum. Nam et narratio excrescere, quantum lubet, potest, et ratio carminis heroici omnia sustinet, Lib. VII. de Oratione cap. V. Eodem quaedam promit Vosius, doctor poeticus, Lib. III. cap. V. §. 12. Integrum etiam Homerum episodiis fere constare, infra expone- mus. Pari modo plura in Marone episodia, quam uulgus opinetur, erunt quaerenda. Atque in iis quidem non leue situm est momentum, quo uulgaris et minutus poeta ab exquisitiori distinguatur. In iis etiam plurimum coloris inesse poetici, hoc magis fateor, quo certius constat, ea ad singularem actionis primariae amplificationem et ornatum in primis comparata esse, et affectuum uehementiam, grauitatem, ac uarietatem, in iisdem dominari. Rursus, quod ad reprehensionem Maronis cogitatum uideri poterat, ad laudem eius conuersum est, ut intelligi queat, qui episodia Maroni detrahere ausit, maximam affectuum uim, et praecipuum ornamentorum decus, ei auferre. Id si ita est, nihil afferetur, quod dedecori sit epico, et, si nihil tale affertur, conuelletur fundamentum, quod unam, eandemque principem, Aeneidos actionem in dubitationem disceptationemque uocare possit. Equidem, id mihi negotii datum esse hoc loco, non puto, ut, quae de epici poetae iudicio aduersus Philosophum differuit Vir CL. excuti- am cuncta, et refellam. Praeteriens tamen moneo, non adeo mihi displicuisse acutissimi critici rationem, a deco- ro petitam, qua ductus, in argumento epici carminis se- quioris sexus rationem non putauit habendam. *Αυδραία* omnino, et *δενότητα*, quas urget ille, et Epicum poema expo- scit, uiris propria notione tribuimus, cum mansuetudinem moris, et comitatem, in feminarum consuetudine magno-
pere*

pere commendemus. Scimus, fuisse uiragines; nec uero nescimus, singularia haec exempla esse, quae modum sexus excessisse uideantur. Quae miramur in mulieribus, ab iis profecto non expectamus. Taceo, in rebus, praeclare gerendis, uiros uelle uiros imitari. Erit sane, ut uarium et mutabile semper femina, nec magnum et memorabile nomen in pugna feminea, quorum utrumque e Marone recordamur: ita non uirilis, et constantis adeo, laudis, cum uiros possis, mulieres imitari. Credideris etiam, feminas olim argumento tragoediae seruisse, et lugubrem luctuosumque iis exitum plerumque datum esse, ut indicio foret, plus animi, quam consilii, aut plus ingenii, quam iudicii ueri, in iis inesse, easque plura moliri, quam perficere ratione possint. Quod si quis actiones muliebres uersibus epicis mandare instituat, feminis mandet, et apud eas gratiam inire paret. Feminis, nisi me animus fallit, exemplis uiri facile caremus. Nemini tamen legem dabo, ne bellum indixisse sexui elegantiori uidear, aut eius laceffam uirtutes, quae, neque id inficior, nostris quoque temporibus domi forisque, publice et priuatim, cum admiratione posteritatis enitescunt. Nostra potius refert, ad id institui animum, quod ait CL. Borrichius, eo spectare dictatorias Philosophi leges, ut poetae nomen uni fere Homero asseratur, easdemque uel e superbia ostentandi ingenii, uel ex inuidia et obtreptione Platonis, profectas esse. At si Homero ea aetate, qua similem non habebat, praecipuum hunc honorem habuit Philosophus: quid sensit tandem aliud, quam quod de poeta, sine exemplo maximo, ueteres publice facti sunt, quibus, uti, praeter tot alios, Velleius Paterculus testatur, solus poetae nomen mereri uidebatur. Omitto, quae Graecorum Latinorumque uates ipsi de Maeonii ingenii fontibus, admiratione

per-

permoti pronunciarunt, et pasſim tum ex aliis, tum e per-
 eruditae conſecrationis Homericae commentatione,
 a Giſberto Cupero in uulguſ edita, pernoscuntur. Mi-
 rari certe ſubeat, quot quantisque laudibus cumule-
 tur Homerus, eique uni tam licuiſſe eſſe felici, ut a poe-
 tis, pariter ac philoſophis, aliis in exemplum artis et do-
 ctrinae proponeretur. Nec uero dixerim, quod ſuſpi-
 catur Vir CL. dictatorias has et imperatorias leges factum,
 et obtrectandi libidinem, p̄ceperiffē. Eſſi enim ſenſum Ari-
 ſtotelis alioqui pulcre calleo, quem omnis omnino ambi-
 tionis minus abſoluo, neque ignoro inimicitias, quas cum
 Platone, magiſtro, ſuſcepit ac geſſit: tamen uideo hic, quid
 has ei doctrinas ſuggeſſerit, cum de artis poeticae ex-
 quiſito genere, qua ſolebat cogitandi ſubtilitate, commen-
 tari inſtituiſſet. Homerum Poetarum, ut erat, principem
 ponebat. Illum, inquam, uirum, quem poſteris tempori-
 bus Dionyſius Halicarnaffenſis, prudentiſſimus cauſſae hu-
 ius diſceptator, omnibus omnino uatibus tantopere prae-
 tulit, ut, ab eius fontibus ceteros dimanaffe, crediderit,
 eumque dixerit κορυφήν ἀπάντων, καὶ ſκοπὸν, ἐξ οὐπερ πάντες
 ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα, καὶ πᾶσαι κρήναι. Alibi uult, Ho-
 mericae poeſios non unam corporis partem, ſed totum
 exprimi, et excoli ſtadium ἠθῶν τε τῶν ἐκεῖ, καὶ παθῶν, καὶ μεγέ-
 θους, καὶ τῆς οἰκονομίας, καὶ τῶν ἀλλῶν ἀρετῶν ἀπαſῶν εἰς ἀληθῆ τὴν
 παρά σοι μίμησιν ἠλλαγμένων. Quorſum attinet, id quod eſt apud
 Euſtathium explanatorem. καὶ διότι ſπερματικῶς, ἀρχὴ καὶ
 καθηγητῆς αὐτὸς πᾶσι γέγονε τοῖς ποιηταῖς. Taceo, quod apud
 Aelianum lib. XIII. V. cap. XX. de Galatone pictore, apud
 Ouidium III. Amor. Eleg. IX. et Manilium lib. II. legamus,
 licet. Sed nulla feſtinatio transgredi debet, quod a Fabio,
 mirifico laudum Homericarum praecone, in commenta-
 rios relatam legimus, Poetam *diſpoſitione totius operis huma-
 ni ingenii modum exceſſiſſe*, Inſtit. Or. lib. X. cap. I. Neque uero
 idem non acceperat ab ipſo Platone Philoſophus, qui alio-
 K quin

DE CRYPSI

quin iniquior uifus, hanc illi laudem prolixè liberaliterque tribuebat. Ecquod enim amplius, et honorificentius, iudicii testimonium dederit, quam cum ex persona Socratis, uiri omnium sapientissimi, eum τὸν ἀρίστον, καὶ τὸν θεϊότατον, τῶν ποιητῶν, inusitatae, et diuinae prorsus laudis exemplo, uocauit. Intelligebat, idem ceteros sentire sapientes. Artifici igitur in arte sua credendum, quod ipse solebat praecipere, putabat. Hunc euoluebat, et quem legerat toties, ac manu sua descripserat, memoria penitus tenebat. Quae in eo reperiēbat exempla, aestimabat iudicio, et cum rationi natureque, ac fini poëtos, consentanea uiderentur, in regulas conuertebat. Quo fiebat, ut dictator artis huius uideri nollet, sed, quod principis poëtae auctoritate, et ratione comprobatum inueniret, idem seligeret, sequeretur, ac doceret. Quamobrem Aristoteli sacramentum huius generis nunquam diximus, ut sentire debeamus, eum esse normam rerum, aut artium cynosuram, nemini unquam deserendam. Circumspecti tamen obsequii ueniam nobis dari uelimus, si ei, sapienter monenti, prudenter obediamus. Hoc quidem loco, quid tandem commeruerit accuratum, et exquisitum, uiri peracuti studium, ut eius odium nos capere debeat, quod ingenue prae me fero, nondum inueni. Si bona fide, et ut inter bonos, ueteri Quiritium formula, agier oportet: gratias agimus Philosopho, qui unus ueterum plenius et perfectius, quis esset laudis poëticae apex, nobis explanarit. Tanto plus, opinor, iniquitatis habere censoria uideatur animaduersio, qua rei bene gestae poena ab eo repetatur, qui nihil peccarit, et in ordinem redigatur, qui ne recto quidem deerrarit.

Pag. 2. emendes, uelim: haec Orpheus, Linus, Musaeus, Homerus, Hesiodus, Callimachus, alii, cecinisse feruntur. Quorsum in transcurso cum eo, quod Vosius cap. XIII. de Nat. Poet. §. 3. monet, comparaueris, id quod submonet Thomas Burnetius in Theoria Telluris, et Archaeologiis, ab eoque Andr. Christianus Eschenbachius praefat. in Poes.

Orph.

U

Aesth. 67.





